





Pr. 23 num. 17.

1723, 3. 17

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

CONDITIONE
INDEBITI OB IGNO-
RANTIAM JURIS
NON EXCLUDENDA

1828

QUAM
DIVINO AVSPICIO
EX

AUTORITATE ET DECRETO
MAGNIFICI FACTORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBURGENSI
PRO SUMMIS IN VTROQUE JURE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE
CONSEQUENDIS

PUBLICÆ AC SOLENNI SENATVS ACADEMICI
CENSURÆ SVBJICIT

AD DIEM XX. MAJI MDCCXXXIII.

JOH. EBERW. Reichmann /
NASSAVIA-DILLENBURGICVS.



MARBURGI CATTORVM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVHALLE



CONDICTIO
INDEBITI OB IGNO-
RANTIAM VI-
NON EXIGENDA

IN DEBITO
MAGISTRUM
IN DEBITO
EXIGENDUM
DEBITUM
DEBITUM

DEBITUM
DEBITUM
DEBITUM
DEBITUM
DEBITUM
DEBITUM





SOLEMNIS DISSERTATIONIS
 DE
 CONDICTIONE INDEBITI
 OB IGNORANTIAM
 JURIS NON EXCLV-
 DENDA.

PROOEMIUM.



Vlla pene est *condictio*, quæ tot ac
 tantis involuta controversiis, at-
 que hæc esse videtur, quana
 Jcti adpellant *indebiti*. Inpri-
 mis cum ea circumstantia ex-
 penditur, qua *condicturo igno-*
rantia juris imputari potest. Quotusquisque e-
 nim in Republica bene instituta est, *sive scholas*
 A five

sive *curias* usquam ingrediatur, diversas super illa circumstantia huc usque latas esse sententias protinus offendet. Quarum rationes ponderare ex eisque talem seligere qualem ipse etiam *fori usus* perferret ab instituto meo non alienum esse existimavi. Non displicente mihi eorum providentia, qui ex bonis optimum, e dubiis id, quod verosimilius sibi adparet, ubique elegerunt. In juris itaque civilis prudentia, ubi farrago quædam *opinionum* occurrit, una sæpius alteram confodiente, summe necessarius est iste *selectus*, quem propterea dignum censui, ut in hoc argumento pluribus a me exhiberetur. Maxime ætate nostra, qua illudetiam nunc obtinet, de quo olim orator non minus, quam JCtus, Antonius Muretus in *Orat. XVII. de Doctoris officio ac de modo Jurisprudentiam docendi* p. m. 185. his verbis conquestus fuit: *Prava quadam ambitio multorum ex illis (jureconsultis) animos occupavit, ut indecorum putarent, cuique assentiri, ac tum sibi pulchri ac beati viderentur, si superiorum placita labefactare ac subvertere: ipsi autem aliquid, quod ante se nemo dixisset, adferre potuissent: quasi clarum clarvo, sic opinionem opinione trudentes*

trudentes, eo tandem rem perduxerunt, ut cum receptum sit in rebus judicandis communem sententiam interpretum sequendam esse, saepenumero, quæ in plures probata sit in tanta discrepantia ac varietate dubitetur. Haftenus ille. Ne ergo idem mihi præter spem accidat, quod Italus iste Jurisconsultus suo tempore verebatur, curæ cordique erit. Primum quidem, ut vera a me sententia in medium proferatur, tum ut e propriis probetur ac eruatur principis longe depulso omni eoque perverso contradicendi pruritu, pro viribus meis enitar. Atque propositum meum hoc persequar ordine, vt de *condictione indebiti ob ignorantiam juris in genere agatur* Cap. I. Deinde actio illa ad *personas privilegio hujus ignorantia utentes*, destinetur in Cap. II. Denique ut eadem actio *personis etiam non privilegiatis* convenire Cap. III. evincatur. Quo autem singula ad optatum a me finem perducantur divinum Numen supplex veneror. Sin quoque in explicatione ipsa quædam irreperint juri aut ejus analogiæ minus conformia, spero mihi bonos omnes veniam concessuros, donec maturior ætas meliora supeditabit.

CAPUT I.

DE

CONDICTIONE INDEBITI OB
IGNORANTIAM JURIS IN GE-
NERE,

§. I.

INter Jureconsultos pridem expeditum est, quod *condi-
tioni*, quæ *indebiti* vocatur semper occasionem dederit
ignorantia. Quo nomine ut privatio intelligitur cogni-
tionis *debitæ*, ita vel circa factum, vel circa jus versatur.
Vnde etiam distinctio cœpit, qua *ignorantia alia juris*, alia
facti est. De facti quidem ignorantia constat, eam longe
certius ac facilius ad *conditionem indebiti* concurrere. Ni-
hilominus illa pro præsentē instituto non venit in discepta-
tionem, sed hæc potius, quæ *ignorantia juris* dicta, et-
iamsi per quam ambigua & difficilis ejus applicatio fue-
rit.

§. II.

Juris ergo *ignorantia* est, de qua uberius agendum.
Secundum præcedentem §. I. privationem ejus cognitionis
exprimit, quæ *juri* & cognoscendo, & applicando, debe-
tur. Toties in vita communi occurrit, quoties quis ea,
quæ *lege* aut *statuto* sibi cognitu *necessaria* sunt, ignorat.
Ita legis Falcidix ignorantia in herede, in marito ignorantia
statuti ejus, quo heres mobilis sit uxoris suæ, identidem
observatur. Alia exempla, quæ JULIVS PAVLVS in *L. r. §. 1.
D. de jur. & fact. ignorantia* enarrat, sunt, si quis sciat
quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis
nomine bonorum possessionem sibi deferri, aut se sciat scriptum
heredem,

heredem, nesciat autem, quod scriptis heredibus bonorum possessionem prætor permittit. Singula; quæ cumulare non duco consultum, satis abundeque ignorantiam Juris, a me descriptam, illustrare possunt. Quare ad differentiam, aut potius convenientiam, progredior, quam cum errore juris habet.

§. III.

Ab errore juris in eo differre videtur, quod ignorantia in simplici privatione veræ ac necessaria cognitionis de jure subsistat; sed huic dictus error, falsum aliquod iudicium superaddit. Nam intellectus hominis errore juris imbuti, simul opinionem fovet, juri recepto plane adversam. Casus erit de eo qui non ignorat solum ex testamento ratione voluntatis imperfecto non solvenda esse legata, sed in illa etiam falsa versatur persuasione, quod in tali testamento imperfecto, si adjecta sit clausula codicillaris, valida fiant legata, quem in ipso jure errare certum est. Sic enim Imperatorem ANTONINUM PIVM decrevisse, scribit Macianus, teste ULPIANO in L. 11. §. 1. D. de legat. 3. quoties quis exemplum testamenti præparat, & prius decedit, quam testatur, non valent quasi ex codicillis, quæ in exemplo scripta sunt. Admodum claro argumento quod in modo corrumpendi ac depravandi intellectus inter se ignorantia & error juris differant, nihilominus inspecto juris effectu maxime convenient, prout PAPIANVS in L. 7. & 8. D. de jur. & facti ignor. id ipsum præclare ostendit. Quem secuti sunt JCTi atate recentiores, D. HERMANNVS VVLTEIVS in Jurisprud. Diss. XX. th. 26. D. GEORG. ADAM STRUVIVS in Syntagmate Jur. Civil. Exercit. XXXIX. §. 51. Unde ex hoc juris errore heredi legata talia solventi, quæ in testamento imperfecto ratione vo-

luntatis relicta sunt adversus legatarium *conditionem indebiti* competere, paulo post evincam. Atque eo fine hanc *erroris ab ignorantia juris* & differentiam, & cum ea convenientiam pluribus deduxi, ne, si in istorum casuum decisione promiscue ista circumstantia a me adhibeantur, futuri sint, qui mihi met ipsi errorem tribuere possint.

§. IV.

Longe minor, quam ab *errore differentia* intercedit inter *ignorantiam* & *dubitationem*: quoniam error *prave*, sed *dubitatio incertae* dispositionis est, ac proinde ad ignorantiam proxime accedit. Licet enim ignorantia penitus privet cognitione debita intellectum *vid. §. I.* nihilominus cum *dubitatio* agentis iudicium suspendat eoque facto cum ignorantia recte comparari potest. Jure igitur civili nihil impedit quominus *dubitatio* eundem cum *ignorantia* producat juris *effectum*. Scilicet hoc in casu, quo aliquis adhuc vellicante animum suum *dubitatione*, qua fluctuat, an debeat nec ne, tamen solvit, *indebiti* soluti conditionem omnino instituere potest. Digna, quae huc adscribantur, & id ipsum confirmet *Lex II. C. de condit. indebit.* ubi Imperator Justinianus, perspicue totam controversiam ita composuit. *Pro dubietate eorum qui mente titubante indebitam solverint pecuniam certamen legumlatoribus incidit, id ne, quod ancipiti animo persolverint, possint repetere an non. Quod nos decedentes sancimus omnibus qui in incerto animo indebitam dederint pecuniam vel aliam quandam speciem persolverint, repetitionem non denegari & praesumptionem transactionis non contra eos induci: nisi hoc specialiter ab altera parte adprobetur. Accedit etiam ratio quod dubio solvens animo indebitum, nec donare, nec transigere videatur. Non donare, quia donatio exigit consensum*

sensum, quem *dubitatio* excludit, utpote actum, qui iudicium aliquod præsupponit *L. 10. C. de donat.* quo suspensio in *dubitante* consensus etiam deficit. Quare *titubante* animo solventi *indebitum* non potest ac accipiente ulla *donatio* obijci, præsertim quod homines res suas amant, ut credi nequeant se eas jactaturos esse. HUGO GROTIUS de *Jure B. & P. lib. 2. cap. 4 § 8.* Imo *donatio* non præsumitur, ubi alia causa adest. Neque *transigere*, quod conventam rei dubiæ decisionem requirit, & propterea in *L. cit.* ad *speciale* pactum restricta *transactio* est. Stat ergo sententia, cum, qui dubitat, nec *donare*, nec *transigere*. D. JOH. STRAYCH. in *Comment. ad L. Decisiones Justinian. Exercit. VI. cap. 5.* AVGUST. BARBOSA in *Thesauro Lucuplet. L. IV. c. 52. ax. 2.* JO. BAPTISTA A COSTA in *Tract. de fact. scient. & ignor. inspect. 82. n. 1. seqq.* FERDINANDVS VASQVIVS *Libr. III. Controv. 63. n. 4.* PETERVS SVRDVS *Decis. 265. n. 62. & 72.* DR. ANDREAS CLVDIVS de *condict. indebit. c. 5. n. 2. seqq.* Ut nihil causæ inveniam quare *dubitantem* a conditione *indebiti* velim exclusum.

§. V.

Neque obstant ea, quæ ab aliis circa *conditionem indebiti* a *dubitante* instituendam, vehementer regeri solent I.) *Dubitantem* comparatum esse cum *errante*, sed quamdiu aliquis *dubitat*, hunc errare non posse: *errore in falso* consistente *judicio* vid. §. III. quod *dubitatio* suspendit §. IV. Resp. Concedo, *dubitantem* nec scire, nec ignorare, sed *in medio* quasi constitutum fore inter scientiam & ignorantiam. Quo casu sensuque *dubitanti* etiam *condictio indebiti* non tribui potest, quamdiu cum *dubitatione Juris* conflictatus, nihil agit. Nihilominus si ab ea nondum eluctatus fuerit; solvat tamen, nemine refragante *errat* in solutione sua. Ex duobus

bus enim extremis, de quorum neutro sibi certo constat, sitne licitum, an illicitum, alterutrum eligit, quæ electio satis superque de errore solventis testatur. Neque obstat II.) L. 6. §. 4. D. de A. & O. H. Ubi Vlpian. dubitantem de statu suo privato, sitne filius familias adhuc, an paterfamilias factus a morte patris, admittit; ut hereditatem adire queat: quare dubitantem habendum esse pro sciente, quia non ignorantis sed scientis actus est aditio, Resp. Principio Lex a scopo aliena esse videtur, non enim de repetitione rei amissæ, sed de acquisitione hereditatis delatæ agit. Deinde dubitatio de statu suo privato officere non potuit heredi adituro, ubi de jure successionis suæ certus est, quod ipsum VLPIAN. rursus probat in L. 34. C. de A. & O. H. & comprobat HERMOGENIANVS in L. 96. D. h. t. In præsentī vero casu nostro jus solvendi dubium erat, cujus gratia conditio indebiti indulgebatur. Denique magis succurrendum est suum repetenti, quam adventio lucro inhianti. VLPIAN. in L. 4. §. 1. D. de R. I. Absit ergo, ut dubitanti dicto respectu & modo conditio indebiti denegetur.

§. VI.

Quibus utcunque evolutis, quæ circa errorem juris non minus, quam dubitationem præmittenda fuerunt, ad cæptam §. II. ignorantiam juris, nunc revertor. Est autem hæc ignorantia juris vel naturalis vel civilis. Prior quidem non, sed posterior saltim intra controversiæ hujus aleam posita est. Nam ignorantia juris naturalis ut neminem excusat, ita condicenti prodesse non potest. E supina negligentia, perinde ac culpabili affectuum vi cooperante, orta est. Neque propterea factum, quod ab ea provenit, invitum, ne dum condictioni nostræ aptum reddere queat. Sed quia
Juris

Juris naturalis ignorantia crassa est, atque affectata, eandem pro repetitione rei amissa urgente recte opponere licet illam HVGONIS GROTHI sententiam, quæ extat in Lib. II. de Jure B. & P. cap. XVII. §. 18. Involuntarium ex voluntario ortum habetur moraliter pro voluntario. Accedit, quod rationis naturalis, quæ omnium mentibus indita est, probabilis obtendi nequeat ignorantia. In illa vero adeo evidentia adparent, quæ præcepta, aut permissa sunt jure naturali, ut animis hominum, iis recte attendentium, protinus innotescant. Quare ad prætextum ignorantie, circa hoc jus commissa, nemini, cui usus rectæ rationis superest, confugiendum, ne culpæ se simul alliget, ac semetipsum conditione indebiti declaret indignum. Ita filiusfamilias frustra repetit conditione indebiti, quod creditori, etiamsi seductori, ex prætensa juris naturalis ignorantia se solvisse defendit, vid. L. 9. §. 4. & 5. D. de JCro Maced. De quo tamen casu deinceps Cap. II. §. II. commodior differendi copia dabitur, ideoque exempli loco tantum insertus fuit.

§. VII.

Postquam ergo præced. §. VI. ignorantiam *juris civilis* maxime selegi, quæ pro instituenda conditione *indebiti* ad litem deducta est, de illa in posterum agendum erit. Contingit autem isthac ignorantia toties, quoties aliquis id ignorat, quod *lege civili* tam *propria*, quam aliunde *recepta*, in civitate sua determinatum est. Cujus indole cognita propterea tamen non omnis difficultas sopita est. Vnde quæ in applicatione ipsa offendi poterat, hac via removenda erit. Scilicet primo de *negotiis*, quæ jus civile exprimit. Deinde etiam de *personis*, quas constringit, aut eximit, ac denique de

B

eventu

eventu actionis ejus, qui ex ignorantia istius juris promanat, videndum est.

§. VIII.

Ad negotia quod attinet, quæ *Jus civile* in Republica præscripsit civibus, aut talia sunt, quæ pro cujusque captu facile sciri possunt; aut quæ sciri quidem debent, sed quorum scientiam sibi soli cives comparare nequeunt. Hinc exacta, aut sæpe exactissima indigent diligentia, ut eorum *peritiores* consulant. Quod in eis maxime procedit, quæ difficiliora ceteris, *recondita*, & *dubia* aut *minus frequentata* sunt. *Priorum* respectu ubi *Jus Civ.* rite promulgatum est, ut in civium notitiam pervenerit, non ita in *prohibitis*, ut in *permissis*, cives sese excusare valent. Excepto tamen casu, quo *justa ex causa* cive absente, *Jus civile* publicatum est. Sic enim propter absentiam nec scivit, nec scire illud potuit, unde civem in *prohibitis* quoque relevabit *ignorantia* sua, quæ *invincibilis* esse videtur. Respectu vero *posterorum* negotiorum, aut copiam habuit *peritiores* consulendi, aut ea destitutus fuit civis, ut hoc casu sine dubio *ignorantia juris* quisque civium tutus est; ita illo ignorantiam allegare sibi licet, quam primum ad subtiles distinctiones, qui *peritiores* juris esse dicuntur, se consulentem remittunt. De Romani juris interpretibus id adnotari poterit in argumento nostro, qui circa *debita* & *indebita* distinguenda mirum in modum se fatigant, ut legere licet apud D. ANDREAM CLVDIVM in *Tr. de Condict. indebiti cap. 2.* Sed juris Germanici simplicitatem secuto patebit, *indebitum* e solo defectu *causæ debendi* estimari; ut proinde tanto distinctionum subtilium adparatu non extricare, sed intricare conditionem indebiti plurimi soleant; prout ingenue fatetur D. JO. SCHILTER. in *Pandect.*

Exercit.

Exercit. XXIV. §. 32. & mecum conferat conditionem indebiti ob ignorantiam juris admittente, ceu infra exponam.

§. IX.

Neque tanto obstat opere, quanto fortassis ab aliis putatur, *regula Jur. Rom. quod ignorantia juris neminem excuset.* Quam JULIUS PAULUS tradidit in *L. 9. pr. D. de jur. & fact. ignorantia*, & conditioni *indebiti* adplicuerunt Constantinus & Maximilianus, Imperatores, in *L. 10. C. de jur. & fact. ignor.* Verum resp. I.) Regulam istam agere de *præceptis*, non de *permissis* vitæ negotiis, vid. D. SIMON in *Præsid. Academ. Diss. de Justitia permissiva cap. I. §. 2. seqq.* Et procedere magis etiam *in illicitis*, quam in *licitis*. II.) Aliud est de *adquirente*, aliud est de *repetente* amissum disputare. Fateor ipse *acquirere* volenti non æque prodesse *ignorantiam juris*, quia *lucrum* captat; nihilominus *suum* petentibus eandem *non nocere* opportune pro re præsentem decidit PAPINIANS in *L. 7. D. de juris & facti ignorantia*. Ad quam distinctionem Imperator Philippus respexisse videtur in *L. 3. C. h. t. vt captanti filia emancipata bonorum possessionem*, quam intra annum de paterna hereditate petere cessavit, illi ob *juris ignorantiam* denegaret. Jam vero in disputatione non agam de alio plenius, quam de *repetente amissum*. Adeoque actorem sistam de *damno vitando* potius, quam de *lucro captando* sollicitum. De illo tamen rursus inquiram, an *naturalis obligatio* viam *repetenti* præcludere possit, an *civilis* tantum subsit. Priorem casum Constantinus & Maximilianus in opposita *L. 10. C. de jur. & fact. ign.* intellexisse videntur ita rescribentes: *Cum quis juris ignorans indebitam pecuniam solverit cessat repetitio.* Cujus decisionis

exemplum quoque anticipavi in §. VI. in fin. ac deinceps sub
examen revocabo. De posteriore autem casu ego contem-
dam, ubi *amissum repetenti* ex supra addita ratione succurren-
dum est.

§. X.

Sub qua declaratione si leges accipiuntur, *nec l. 9. C. de
LL.* adfensum remorari amplius poterit. Quamvis Valenti-
nianus & Martianus Imperatores, ibidem claris verbis edi-
cant, ut cives sibi subjecti omnes jus atque leges a se pro-
mulgatas scire atque intelligere teneantur, ipsi tamen non
dissententur quarundam legum fore *duritiam*, quam, ut in-
congruam *humanitati suæ*, emendari se desiderare. Conf.
Celeberr. DN. KESTNER. in *Tr. de jure humaniore Pr. II. in
Procem. §. I. & IV.* Neque iidem Imperatores repudiare pos-
sunt a regula sua exceptionem, nisi juris istius *imperiti* fue-
rint subditi, nec *peritiores* consulendi *copiam* habuerint,
quam adcuratissimus JCTUS, JULIUS PAULVS commendat in
L. 9. §. 3. D. cit. Tit. Ecquis, quæso, eo abreptus audaciæ,
id imputaret, qui cum vellet, facere citra culpam suam non
potuit. Nihil ergo obstat, quo minus habita *circumstantia-
rum* ratione §. VII. III. & XII. expressarum, jus & leges hu-
manas ignorare liceat, præsertim ejus, quæ ad sensum *imbe-
cillitatis humanæ* non accommodatæ fuerunt, de quo luculen-
ta specimina suo loco recurrent.

§. XI.

Quæ ergo in *jure civili* permixta est ignorantia, multo
magis sub illis circumstantiis in *statutario jure* admittenda erit.
Etsi *civium*, qui eo obligantur, simul inspicienda sit *con-
ditio*. *Antiquis* talis ignorantia vix prodesse potest, quoties
negligentia sua illam sibi contraxerunt, aut *copiam peritiores*
con-
consu-

consulendi omiserunt. Secus se habet de *novis* aut plane *peregrinis* civibus, quibus, exposito §. IX. modo propter *ignorantiam* alicujus statuti, ubi de jure *amisso* certant, conditionem *indebiti* concedendam esse existimo. Pro illustranda hac decisione, non alienum erit talem formare casum. Scilicet in quadam urbe viget inter alia illud *statutum*, ut superstiti conjugii *dimidia* bonorum defuncti debeatur. Ita Titius, civis peregrinus, ad urbem accedit, ibique Mariam, parentibus orbam, sibi matrimonio jungit. At brevi post initum matrimonium uxor, in morbum prolapsa vitam cum morte commutavit. Relicta sorore una cum marito, a quo illa defunctæ *hereditatem* petens usque ad *quartam* bonorum partem impetravit. Cum *viduo ignota* esset dispositio *statuti*, nec præ *mærore* nimio prudentiores consulere valeret. Superato autem *adfectu* ac depulsa *ignorantia* sibi dimidiam vigore statuti deberi percepit. Ideo plus de *hereditate* defunctæ uxoris se restituisse, quam foror hujus prætereundere potuerit, *conditionem indebiti* movet, quam obiecta *ignorantia juris* rea conventa perperam declinare conatur. Principio adducti *statuti ignorantiam* in Titio, ut peregrino, mereri excusationem, nullus dubito. Deinde maritus novæ conjugis adeo immaturam mortem præsumere non potuit, ut in tempore sibi de dispositione *statuti* circa conjugum successionem provideret, ejusque notitiam compararet. Denique ut *mærore summo* confectus fuit viduus, ob amorem adhuc ferventem, ita sibi consulere non valuit. Sed jam frigescentem de talibus *statutis* cogitare, nedum ea perquirere potuit.

§. XII.

Verum ad alias, easque præcipuas in hac lite circumstantias me nunc converto. Quarum intuitu *ignorantia juris*,

B 3

qua

quæ conditionem *indebiti* promovere dicta est, probe temperatur. Atque huic temperamento, æqui ac boni causa, infervit illa distinctio inter personas *privilegiatas* & *non privilegiatas*. Dantur enim personæ, quibus vi *privilegii* a summis Imperantibus concessi, *jus ignorare* licet. Propterea ejusmodi personis non prodest solum *ignorantia juris*, sed ut hoc *privilegio* recte fruantur, in eis etiam præsumitur. Quo pertinent I.) ratione *ætatis*, *minores*, quibus jurium conditores ob *imperfectum* adhuc rationis *usum*, & *fragile* de negotiis vitæ *judicium*, subveniendum esse, putaverunt. Sic JULIVS PAVLVS in sapius adducta *L. 9. pr. D. de jur. & fact. ign.* inquit: *Minoribus viginti quinque annis jus ignorare permissum est*, quod Imperator Constantinus rescripto suo corroboret in *L. 11. C. dicto tit.* cum in lucro nec fœminis jus ignorantibus subveniendum esse juberet. Attamen hoc contra ætatem adhuc *imperfectam* locum non habere protinus e retro Principum statutis declararet. Dubio procul ea *differentia* intercedente, quam ipsa confirmat quotidiana *experientia*, quod *feminarum* tanta non sit consilii *imbecillitas*, quanta *minorum*. Quare tam in *damno* vitando, quam *lucro* captando, propter minorem ætatem succurri diserte adseverat ULPIANVS in *L. 7. §. 6. D. de minor.* De quibus plura recurringunt in *cap. II.* hujus dissertationis.

§. XIII.

Nec minus II.) ratione *sexus femine*, quam ætatis causa, minoribus, indulta est *ignorantia juris*. Confer. JO. VOLCKMAR. BECHMANN in *Tr. de privilegiis mulierum* §. 44. Causa privilegii a multis in sola *sexus imbecillitate* quaritur. Sed vero similior visa est aliorum sententia quæ in *feminarum imprudentia* animi & *præcipitantia* illam investigant. Quæ accidit



accidit, ut contra *propriam utilitatem* sapius capiant confi-
 lium. Ideo miseratione digniores, quod *feminis* minime de-
 sint, qui ex ipsarum *facilitate* lucrum suum captare gestiant.
 Unde hac *juris ignorantia* in feminis magis pro vitando da-
 mno, quam acquirendo *lucro* permessa est. Liquet autem
 ea decisio potissimum ex *L. 11. C. de jur. & fact. ignor.* cujus
 tenorem §. XII. præc. retuli. Quæ lucem omnino adfundit
L. 9. pr. D. h. t. ubi Paulus Jctus pro more suo aliquanto
 obscurius illud *privilegium* expressit, additis verbis: *in qui-*
budam causis. Has ergo causas omnium clarissime exhibue-
 runt Leo & Anthemius Imperatores in *L. 13. C. h. t.* edicentes:
ne passim liceat mulieribus omnes suos contractus retractare in
his, quæ prætermiserint vel ignoraverint: statuimus, si per
ignorantiam juris damnum aliquod circa jus vel substantiam
suam patiantur in his tantum casibus, in quibus præteritarum
legum auctoritas eis suffragatur, subveniri. Quibus legibus
 exacte inter se comparatis ac perpensis, statim adparet, quod
 licet *feminis* remittatur poena delicti, ex præcedente *ignorantia*
juris commissi; propterea tamen, *lucrum* exinde conqui-
 situm, retinere nequeant. Adeo vera hæc sunt, cum in de-
 lictis *ignorantia juris* nulli profit tantum, ut *lucrum* inde fe-
 mina faciat: quamvis *pœna* sibi remitti queat, uti ex rescri-
 pto divorum fratrum PAPINIANVS in *L. 38. §. 6. D. ad L. Ju-*
liam de adult. & Imperatores VALENTINIANVS, THEODOSIUS &
 ARCADIVS in *L. 4. C. de incest. nupt.* prolixè diremerunt, ne
 quid amplius desiderari debeat.

§. XIV.

Idem privilegium III.) ratione *status publici militibus*
 convenit, ut *jus ignorare* sibi liceat, sive de avertendis da-
 mnis, sive de obtinendis *lucris* contendant. Ad quod per-
 venerunt

venerunt non tam *imperitia* sua , quæ ad *privatam* causam spectat, quam *munere* & *securitate publica* requirente. Milites enim *signis* ac *muneri* suo semper inharere *armisque*, non *privatis* negotiis dediti esse jubentur, ut *republicam*, a qua tantis aluntur sumtibus ab *ingruente* bellorum necessitate tueri possint. Inde contigit, eos *arma* magis, quam *leges* & *jura* callere. Quamvis in ipso belli statu *arma* & *jura* sibi haud *adversa* sint; nihilominus eorum strepitus valde impedit, ne a militibus hæc exaudiri queant. Gravis igitur & *justa* est causa, ob quam *militibus* tribuitur *ignorantia* juris nempe *publicum*, quod pro *republica* obeunt, *munus*. Jam vero æquitate naturali quemque admonente, nemini *officium suum* debet *damnosum* esse. Si hujus a militibus *impetrati privilegii* testimonium aliquod desideretur, id ipsum extat in *latis* probata a me *L. 9. §. 1. D. de jur. & fact. ignor.* ubi paucis verbis JULIUS PAULUS hoc refert: *Miles per constitutiones principales jus ignorare potest.* Quod Imperator Antoninus ad casum applicuit in *L. 1. C. h. t.* ubi *miles*, ommissa exceptione *peremptoria* in *Processu*, quam post *sententiam* oppositurus est, *adversus* actionem rei *judicatæ*. Hac igitur a *judice* inferiore sibi *rejecta* ad Imperatorem *adpellavit*, ab eoque *sententiam* *reformatoriam* impetravit, ut sine *restitutione* uti posset illa *exceptione*. Et sane meretur *lex* illa, quæ *tuenda* veritatis gratia hic *integra* *adscribatur*. Quamvis, *rescripsit* ANTONINUS, *cum causam tuam ageres, ignorantia juris propter simplicitatem armatæ militiæ allegationes competentes omiseris: tamen si nondum satisfacisti, permitto tibi, si ceperis ex sententia conveniri, defensionibus tuis uti.* Cætera quæ de *privilegio* hoc alii *congefferunt*, nolo *expilare*, sed a quolibet *legi* possunt apud L. BR. AB ENENCKEL in *L. 11. de privi-*



privilegiis militum priv. I. CAROLUM a MANSEFFLD in Magisterio Milit. P. I. c. V. SFORTIAM ODDONEM in Tr. de Restitut. in integr. P. I. Quæst. X. n. 44. seqq.

§. XV.

Neque est quod IV.) ratione status *privati rusticos* a permissa juris ignorantia præcludam. Quorum pluris interest *rura* nosse, quam *jura*. Accedente morum *simplicitate*, quæ huic hominum generi admodum familiaris, & proinde nulli eorum fraudi cedat, sed potius ad ferendam opem destinetur. Maxime in locis, ubi rusticis *occafio* deficit, quæ *prudentiores* consulere, ab eisque *juris* peritiam sibi comparare possunt. Quibus ita perspectis patet, *rusticos privilegio* ejus *ignorantiæ* quæ *juris* adpellatur, inter ceteros etiam gaudere. Quod tamen restringendum est tantum ad casus, quibus de *vitando damno* rustici certant. Eo intendit ex aliis JULIUS PAVLVS in L. 25. §. 1. D. de probat. & plane in rem præsentem adplicat *rusticorum ignorantiam juris*, ut *dammum* a se declinar e possint. Nam ibidem ait: *Si is, qui indebitum queritur, agricultor, & forensium rerum expers, vel alius simplicitate gaudens & desidiæ deditus sit, tunc eum, qui accepit pecuniâs ostendere bene eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas, & si non ostenderit, eas redhibere.* Alias leges, quæ *privilegium hoc rusticis* tribuunt, sed in diversis casibus, videri possunt in L. 1. §. f. D. de edend. L. 7. §. 4. D. de Jurisdic. L. 2. D. de in jus voc. L. 2. §. 7. in f. de Jure fisci. Quibus addendi sunt RENATVS CHOPPINVS de privileg. Rusticor. Lib. I. P. I. cap. 1. & SFORTIAS ODDO in Tr. de restitut. in integrum P. I. Quæst. IX. tot.

§. XVI.

Sufficiant hæc de personarum *privilegiatarum ignorantia*

C

tia

tia *juris* pro instituti ratione, quæ in *Cap. II.* ad forenssem usum brevi post adplicabuntur. Personæ igitur *non privilegiatæ* consideranda sunt, de quarum *ignorantia* juris doctores & *graviorem* disquisitionem & *altiore* indaginem comminiscuntur, quam ipsa actionis *indoles*, jurisque vera *analogia* patitur. Confer. D. ANDREAS CLVDIVS Helmstadiensis Jctus in *Tr. de condict. indebiti cap. I. tot.* Inprimis autem distinctionis via, quam exaggerant difficultatem, expedire satagunt. Ne quid decisionem nostram reddat suspectam, illam huc referre quidem, sed in *cap. III. §. 3.* iudicium desuper interponere, operæ meæ pretium erit.

§. XVII.

Personæ vero *non privilegiatæ* quoties ad ignorantiam juris confugiunt, aut *lucro* captando sunt intenti, aut vitando *damno*. Si illi, *ignorantiam juris* sibi nocere putant per *L. 32. §. 1. D. de Usucap.* Sin huic rursus subtili ratione distinguunt Jcti, aut de *damno rei* adhuc *amittendæ* aut de *damno rei amissæ* personas illas, ut sollicitas, introducunt. *Priore* casu manifestum est, quod *ignorantia juris* etiam personis *non privilegiatis* prodesse possit: cum jura semper ad liberandum quam ad obligandum proniora sint, fatente ARRIANO Jcto in *L. 47. D. de O. & A.* Unde heredi præstitam a se cautionem pro solvendis legatis conditionalibus a testatore sibi *remissam* ob *juris ignorantiam*, ut indebitam condicere facillime concedit ULPIANVS *L. 1. pr. D. ut in possess. legat. vel fideicommiss. servand. causa esse liceat.* De quo tamen exemplo infra *Cap. III. § XIX.* agendi erit copia. In præsentia ad posteriorem casum revertor, qui *damnum rei amissæ* ficit. Neque dissimulare possum D. HENNINGEM RENNEMANNVM in *Jurisprud. Romano-Germanica P. I. Disp. XX. § XXXV.*

§. XXXV. not. a & b. casum hunc reddidisse dubium, quod duplici modo capi amissum statuit: Uno, quod ex *aliena* re nunquam *sine onere nostro* nobis obveniat, nempe ex usufru-
 pationibus, bonorum possessionibus; hereditate delata & ce-
 teris negotiis. Cum quis ergo non adquirat id, quod ad-
 quirere potuit dictis modis, amissum videtur. Et propterea
 personæ *non privilegiatæ* de *damno* vel *amissione* istius rei con-
 quirenti, invitante licet juris ignorantia restitutionem ac con-
 dictionem æque permittit. Altero modo, quo *ex propria* re
 ac *pro onere* nostro parta, nobis aliquid decedat, id, quod
 ita amissum ejus omnino dari *condictionem indebiti*, ignoran-
 tia juris nihil impediende. Quantopere vero hic fluctus in
 simpulo moverit e *Cap. III. §. II. IV. seqq.* patefcet, ubi plu-
 ribus, eisque verosimilioribus rationibus e jure naturali non
 minus, quam ex vera *juris civilis analogia* depromtis satis
 abundeque demonstrabo, quod *ignorantia juris* personis quo-
 que *non privilegiatis* sine hoc distinctionum adparatu, ad in-
 stituendam *condictionem indebiti* prodesse possit, modo ob-
 ligatio naturalis non præcesserit in solvente.

§. XIIX.

De *condictione indebiti* ipsa superest, ut quædam in me-
 dium proferam, at pauca tantum erunt. Cur enim verba
 perdam in re omnibus nota, non video. Ad scopum meum
 conducit, aliam esse *condictionem generalem*, quæ destinari
 potest ad petitionem cujusque rei, quæ *sine causa* est penes
 alium. Quo sensu *condictionem* accepisse videtur PAVLVVS in
L. 65. pr. D. de condic. indebit. Unde *condictionem* ob cau-
 sam datorum, ob turpem aut injustam causam similemque
 in se comprehendit. Sed alia est *condictio indebiti*, quæ *spe-*
cialis dicitur, & locum hunc sibi vindicat, In relatione ad

C 2

igno-

ignorantiam juris, cujus causa meum laborem suscepi, actio personalis est, qua quisque repetit, quod alteri *indebite per ignorantiam juris solvit*, vel saltem se soluturum cavit aut remisit *§. I. Inst. qu. mod. re contrah. oblig. §. 6. J. de Oblig. quæ ex qs. contr. nasc. L. 1. ff. de condiç. indebit.* Neque ulli refragrari animus est pro negotiorum varietate hanc *condiçionem* distinguenti in eam, quæ *certi*, & alteram, quæ *incerti* esse dicitur, cujus fundamentum in *L. 40. §. 1. D. de condiçione indebit.* latere videtur. Mihi potius arridet, nunc ea persequi, quæ pro condiçione & juris ignorantia exorsus sum.

CAPUT II.

DE

CONDICTIONE INDEBITI OB
IGNORANTIAM JURIS PERSONIS
PRIVILEGIATIS COMPETENTE.

§. I.

POSTquam in præcedente *Cap. I.* ea largiter præmissi, quæ ad decisionem arduæ hujus litis pertinent, ordine juris me ducente circa ipsos casus *speciales* nunc versabor. Ne vero horum evolutio *opportuna* minus, quam *solida* existat, aliquid subjiciam *fundamentum*, cui tuto mihi aliisque inniti liceat. Estque regula comprehensum: *Quibuscunque ex privilegio jus ignorare licet, isdem sine ullo discrimine condiçio indebiti competit.* Sed enim gaudent hoc privilegio propter *ætatem* minores vid *cap. cit. l. §. XII.* quibus *pupilli, furiosi, & prodigi* annumerandi sunt, prout singuli *arbitrio* tutorum vel curatorum, in contractibus, aliisque vitæ negotiis diriguntur. Ratione *sexus femine l. c. §. XIII.* ratione status

status *publici milites* §. XIV. ratione status *privati rustici*, §. XV. Neque ratione status *externi peregrinos* hic exclusos velim, quoties *ignorantia juris* cujusque loci proprii ac domestici lapsi esse deprehenduntur. Quos tanto digniores hoc favore esse censeo, quanto honestiore ex causa in aliquam provinciam, patria relicta, ipsi concesserunt vid. *cap. I. §. XI.*

§. II.

Missis itaque ambagibus, quæ moram injicere potuissent, ad promissos accedo casus *condictioni indebiti* ob *ignorantiam juris* permissæ inservientes. Quorum tres conjunctim extant in *L. 29. D. de condic. indebit.* Unus de pupillo ob ætatem; alter de furioso propter animi morbum; tertius de prodigo ob mores, ad *condictionem* hanc admissis. Fidem dictis meis facient ipsa legis excitata verba, ubi *ULPIANVS* singulos casus exhibet: *interdum persona*, ait, *locum facit repetitioni*; ut puta si pupillus sine tutoris autoritate, vel furiosus, vel is, cui bonis interdictum est, solverit: Nam in his personis *GENERALITER* repetitioni locum esse non ambigitur. Et siquidem extant nuni, vindicabuntur, in consumptis vero *condictio locum habebit*. Quocum consentit *PRI-SCVS NERATIVS* in *L. 41. D. h. t. quod pupillus sine tutoris autoritate stipulanti promiserit, solverit, repetitio est: quia nec natura debet*. E quibus apertum est, quidquid dictæ personæ ex contractu, sine tutorum ac curatorum suorum consensu invalido, errore tamen *juris* abrepta solverunt, id a tutoribus & curatoribus *condictione indebiti* recuperari posse, etiam si solum consumptum fuerit.

§. III.

Neque ulli condicentium ob stare potest primo casu *Lex*

C 3

13. §. f.

13. §. f. *D. h. t.* cum PAVLVS JCTus expresse statuat, a pupillo, quod sine tutoris auctoritate solvit, id non repeti: resp. primo Lex agit de solvente postquam *puer factus* est, eoque ipso negotium minus validum *ratihabuit*. Deinde solventem introducit, qui *locupletior* factus est. Sed jura captanti *lucrum* non perinde opem ferunt, ut *damnum* facienti. Denique leges antea memorata regulam tradiderunt, sed quæ *L. 13.* subiecta fuit, exceptionem ejus indicavit. Postremo notandum, quoties pupillus *locupletio*rem sese reddidit, non *naturaliter* tantum, sed *civiliter* etiam obligari evincit ULPIANVS in *L. 3. §. 4. D. de negot. gest.* Conf. JOANES CORASIVS in *L. 6. Miscellan. cap. 22.*

§. IV.

Discussio etiam, quod excitatum erat, dubio, ad *quartum* casum me accingo, quem DIOCLETIANVS & MAXIMINIANVS in *L. 2. C. si adversus solut.* suppeditant. Nempe in testamento ratione *solemnium imperfecto* jusserat testator heredem *minorem*, a se institutum, ut legata solveret, quæ *errore juris* quoque seductus, *minor* solvit, quod testamentum illud pro *perfecto & solenni* habuit; cognito mox *errore suo*, de repetitione legati *indebiti* paulo post instituit *condictionem*. De qua nunc quaeritur *jure* ne hæc fieri possit? nec ne. Imperatores igitur in lege citata, præcedente *restitutione* in integrum, illam actionem indulserunt, quod contra *errorem juris* minori omnino succurrendum foret: quæ proinde non *directa*, utpote quæ ex ipsa lege civili competere debet, sed *utilis* tantum eo respectu adpellata est a GAI0, JCTo, in *L. 25. pr. D. de minoribus*. Ut tamen minori non alia intentione conveniret atque ea, quod sibi ob *lubricum ætatis*

etatis concessum sit privilegium, ut jus ignorare queat. Conf. Cap. I. §. XII.

§. V.

Cui decisioni minime officit (1.) in *jure errantem* non videri *restituendum* esse arg. *L. 26. §. 12. D. de condic. indebit. & L. 10. C. de jur. & fact. ignorant.* Resp. De minore agitur, cui ex *privilegio jus ignorare licet, per dicta in cap. I. §. XII. & præc. IV.* Verum in *L. 26. de liberto*, eoque majore sermo est, Patrono *indebitas* operas liberales præstante. Ubi partim *natura* negotii partim *obligatio* ad declarandum animum gratum obicem posuerunt *conditioni*. Unde adparet nec *L. 10. obstaculo* superfore, quæ *majoribus* nusquam non applicatur. *Jure ne hoc fiat, an injuria in Cap. III.* dispiciendum erit. (2.) Minorem naturaliter debitum solvisse sed *obligationem naturalem* impedire conditionem *indebiti*. Resp. Ex veriore sententia hic *petitio principii* committitur. Quemadmodum testamenta *meri juris civilis* inventa sunt, ita obligationem *naturalem* in herede producere nequeunt. Perperam ergo hanc urget SPONTIAS ODDO in *Tr. de Restit. in integrum P. I. Qu. 52. art. 13.* Quod si enim testamentum ratione *solemnium* imperfectum, e quo legatum solutum fuit a minore in *L. 2. C. si advers. solut.* obligationem *naturalem* produceret: illa vel ex *jure naturali* vel ex *jure gentium* deducenda est: Non ex *jure naturali*, quia hoc jus in *solemnibus* nihil præscribere potuit, cum totus testandi actus a *jure naturæ* non dependeat, uti prolixè demonstravit D. SCHNEIDER, Professor Halensis, in *Disput. de obligatione ex testamento imperfecto cap. I. §. IV. & IX. & Cap. II. §. III. seqq.* Neque *jure gentium*, quod vel *jus naturæ* in se includit, id si ponatur, ab eo diversum, magis subordinatum, quam ab eo adæqua-

adaquate distinctum est. Si itaque *prius* dicta ratio recurrit; Sin *posterius* eidem juri recte aliquid *additum*, quod omnino in ista Republica, ubi lex hæc de *solemnibus* testamenti lata est, a testatore observari debuit. Qua non observata, mirum haut erit testatoris dispositionem *obligandi vim* omnem penes heredem amisisse.

§. VI.

Aliud dicendum videtur secundum communem opinionem de *quinto* casu, quo istiusmodi minor, qui indebitum legatum e testamento minus solenni per *errorem juris* solvens, *doctor juris* fuit. Profecto huic propter *ignorantiam juris*, quam obtendit nec *restitutionem*, nec indebiti conditionem jurium consulti permittunt. Nam turpe ac probrosum ducunt *doctori juris*, jus illud, in quo assidue versatur, ignorasse, judice, POMPONIO & QUINTO MVTIO in *L. 2. §. 43. D. de O. J.* Ut proinde propriam turpitudinem suam allegare debeat, si obtentu *juris ignorantia* sive *restitutionem*, sive *conditionem* indebiti in recensito casu impetrare velit. Cum verosimile non sit, *juris doctorem* labi potuisse, *peritiæ* pro se *presuntione* militante. Perinde ut *minori*, sed *diligenter* rerum suarum satagenti, ob eandem *presuntionem bonitatis* ac *diligentiæ* restitutionem denegavit ALEXANDER, Imperator in *L. 1. C. qui & advers. quos restit. in integr.* Dignum quoque est commemoratione illud exemplum, quod de celeberrimi istius Accursii filio, *juris doctore* ex aliis tradidit SFORTIAS ODDO in *P. 1. de Restit. in integr. Qu. XXIII. art. 7. n. 24.* huic, opposita exceptione *peritiæ & dignitatis*, petitam a se *restitutionem* in integrum fuisse recusatam. Quamvis citati autoris *opinionem* non penitus improbare possim *n. 25. l. c.* qua putat, *presuntione notitiæ juris* ideo doctorem a *restitutione & corr.*

condictione perperam excludi; quod illa probatione *contrarii*, ut elidi, ita corrigi possit, ut *doctor juris* ad *restitutionem* & *condictionem indebiti* admittatur. Neque enim sola *juris peritia* in eo attendenda est, sed *minor* adhuc *ætas*, in qua constitutus, *præcipitania* sua circumscriptus fuit ac læsus. Simul *concurfus privilegiorum*, qui in *doctore* ut *privilegiato* accidit, considerari debet, quo sibi habenti *privilegium ætatis*; aliud de integro supervenit *privilegium doctoralis dignitatis*. At, bene advertente, L. Br. ab ENENCREL *Lib. II. de privileg. cap. V. n. 3.* eo casu, quo *concurfus privilegiorum* in eadem persona evenit, neutrum ab altero tollitur, sed utrumque *vim suam* retinet: & si *majus* sit, quod *posterius* accessit: sufficit, quod *prius*, ætatis proprium in ipso *naturæ ordine* fundamentum suum habere soleat, propterea nec *doctori juris* invidendum erat. *Turpiter* quidem petit, *ex ignorantia juris*, quia *juris doctor* est: non tamen *turpiter* condicit: quia ut *minor indebitum* solvit. Ne repetam, quod tale legatum nec *naturaliter* nec *civiliter* debitum sit: non *ilud*, uti demonstratum *præc. §. V.* neque *hoc*, quia præsuppositum est, quod forma testamenti in *certis solemnibus* definita a testatore neglecta fuerit, idque imperfectum & producenda *obligationi civili* ineptum reddiderit.

§. VII.

Propterea tamen in *sexto* casu, quo *minor*, ut filiusfamilias *mutuam* accepit pecuniam eam pro *luxuria* sua perdidit; nihilominus paterfamilias factus, qua erat *ignorantia juris* postea creditori suo restituit, sibi non datur *condictio indebiti*. Nam malitia, quæ in eo ætatem supplet, una indignum *privilegio* reddidit. Cui supervenit *creditoris odium*, quod exceptionem quidem parit *odiosam*, sed si solutum fue-

D

rit

rit *condictio* cessat, tam ob *tacitam odii* hujus *remissionem*, quam ob *precedentem* in solvente *obligationem naturalem*, quae alias *condictionem indebiti* excludit, ut JULIVS PAVLVS testatur in *L. naturaliter 13. D. de condict. indebit.*

§. IIX.

Neque obstat 1.) *Obligationem hanc naturalem* in mutuo filiofamilias a *jure civili* esse *reprobatum*. Resp. Nonsecundum se *totam*, sed pro *parte* tantum, scilicet quantum attinet ad producendam *exceptionem*. Ceteroquin idem PAVLVS in *L. 10. D. de Scto Macedon.* dicere non potuisset, quod *naturalis obligatio maneat*, respectu actionis, ne quod solutum est, repetatur, decidente ita ULPIANO in *L. 9. §. 5. D. de Scto Maced.* 2.) Filiofamilias *exceptionem perentoriam* adversus creditorem convenire: Ergo a *condictione indebiti* excludendum non esse. Resp. Fallacia *consequentis* hoc argumento committitur. Ab actione enim ad *exceptionem*; non versa vice ab *exceptione* ad *actionem* *consequentia* procedit. Dari quoque instantia potest a pacto nudo, *exceptionem* pariente *Jure Romano*, non tamen *actionem*. ULPIANVS in *L. 7. §. 4. D. de pactis*. Similis instantia est de debitore ante diem solvente, qui habet *exceptionem pluris petitionis* contra creditorem; a quo *solutum non condat*. PAVLVS in *L. 10. D. de condict. indebit.* Et si igitur filiofamilias *exceptionem Scti* habeat; non tamen ad *condictionem indebiti*, rebus sic stantibus, admitti potest. Id quod MARTIANVS in *L. 40. D. de condict. indebit.* optima ratione ostendit. Cum inquit: qui *exceptionem* perpetuam habet, *solutum per errorem* repetere potest. Sed hoc non est perpetuum. Nam si quidem ejus causa *exceptio* datur, cum quo agitur *solutum* repetere potest; ut accidit in senatusconsulto Vellejano de *feminarum intercessionibus*:

ubi

ubi vero *in odium* ejus, cui debetur, exceptio datur, *perperata solutum non repetitur*; veluti si filiofamilias contra Macedonianum mutuum pecuniam acceperit, & paterfamilias factus solverit, non repetit. vid. *præc. §. VII.*

§. IX.

Minime vero omnium officit 3.) solventem præsupponi *minorem* cui *jus ignorare* licet, sed excluso a conditione *indebiti* hoc in casu *privilegium ignorantie* sibi met ipsi fraudi cedere. Resp. Ubi malitia *ætatem* supplet, ibi etiam illa effectum *privilegii* impedire videtur. De luxurioso autem *minore* sermo est, *credendum* non minus, ac *patrimonium* suum dilapidante. Sed *decepto* opem ferunt jura, non *decipienti*. Dum ergo in *pari turpitudine* cum creditore suo versatur, inde evenit, ut melior hujus, seu possessoris debiti soluti, sit conditio, ne repetatur eo modo datum *argum. L. 2. D. de condic. ob turb. causam*. Frustra enim legis auxilium implorat, quisquis *minorum*, luxuria & corruptis moribus suis, contra leges peccat, judice TRYPHONINO Jcto in *L. 37. D. de minor*. De minore itaque resolutio hæc procedit, & *debitore* quidem, una tamen *luxurioso* adolescente. Secus se habet *in minore*, filiofamilias *creditor*, cui *ob ignorantiam juris* subvenitur, ut filiofamilias credidisse non videatur per sæpe citatam *L. 9. pr. D. de jur. & fact. ignor.* Quo in casu post consumtionem, quin *condictio* sive *mutui*, sive *indebiti* conveniat, nullus dubito. Etsi quando a debitore opponatur *exceptio* Scti Macedoniani, tunc contra eam *restitutio* in integrum impetranda est.

§. X.

Quæ hætenus explicata fuerunt ad *minorem* pertinent, de solo *damno vitando* certantem. Enimvero in *lucro* captando

do occupatum *ob juris ignorantiam* habere conditionem *indebiti* quoque minorem ex iis indubitatum est, quæ supra tradidi *cap. I. §. XII.* Adeo ut saltim illustrationis causa sub-
 jicere libeat casum, eumque numero *septimum*, e quo judi-
 cium de ceteris ferri potest. Sit ergo minor, qui *in jure* er-
 rat, ea quidem ex causa, quæ inficiatione *in duplum* crescit,
 uti est legatum, piis & venerabilibus locis relictum, §. 26. *I.*
de action. qui si solverit *duplum*, restitutus utilem habet con-
 ditionem *de indebito* soluto. Praclare enim ULPIANVS ad ca-
 sum hunc dixisse mihi videtur *in L. 7. §. 6. D. de minor. Ho-*
die certo jure utimur, ut & in lucro minoribus succurratur.
 Quare *pinguis privilegium* habet ipsis feminis, quibus sal-
 tim *in damnis vitandis*, non in *lucris captandis ignorantia*
juris prodest, ceu admonui in *Cap. I. §. XIII.* Neutiquam
 impediante, quod *in L. 11. C. de iur. & fact. ignor. a me l.c.* ex-
 citata, feminæ etiam succurratur propter omissam bonorum
 possessionem, ex *juris ignorantia* factam; cum tamen in ta-
 li casu de *lucro acquirendo* illa sollicita fuerit. In lege ista fo-
 minæ subvenitur, non ob *sexum*, sed ob *ætatem*; ut *mino-*
renni, non ut *feminæ*: quoniam major est *ætatis*, quam *se-*
xus favor, ut ob *lucrum* amissum & restitutioni non
 minus, ac conditioni *indebiti* suus locus relinquatur. Con-
 fer. *L. 44. D. de minor. & L. 2. C. de restit. minor.* SFORTIAS
 ODDO de *Restit. P. I. qu. VIII. n. 76. seqq.*

§. XI.

Sat discussi sunt casus, quibus *ætate* minoribus, ob igno-
 rantiam *juris* conditio *indebiti*, & concessa, & vindicata
 fuit. Feminarum nunc habenda erit ratio, quæ ex eodem
privilegio, quod *cap. I. §. XIII.* exhibui, conditionem *inde-*
biti suscipere possunt. Nam præsumtio *ignorantiæ juris* non
 minus

minus pro minoribus, quam pro feminis militare solet, consilii fragilitate illam adjuvante. Unde frequentius nihil occurrit inter doctores, atque feminas comparari minoribus. vid. HERMANNVS VVLTEIVS in P. 3. Consil. Marp. cap. XXIX. n. 152. & SOCINVS Iun. vol. 3. Consil. L. n. 4.

§. XII.

Adeo igitur difficilis inventu non est casus, sed ordine octavus, quo feminae ex intercessionibus suis contra Sctum Vellejanum factis, aliquid ex errore juris solverint, minus attendentes, se privilegio de non solvendo munitas esse, illis permittitur conditio indebiti, uti MARTIANVS in L. 40. D. h. t. cujus verba recitavi supra §. IIX. GORDIANVS Imperator in L. 9. C. ad Sctum Vellejan. & PAVLUS in L. 24. §. 2. D. ad Sctum Vell. quæsitus: an, si mulier solum condicat? apte respondit, *puto statim*, quod idem Jctus adseruisse, mihi visus est in L. 31. D. cit. tit. Quæ conditio in casu nono, qui delegationis erit, ex iisdem circumstantiis a femina suscepta, locum invenit. Sic autem de illo ULPIANVS in L. 8. §. 3. disertis verbis pronunciavit: *interdum & intercedenti mulieri conditio competit, puta si contra Sctum obligata, debitorem suum delegaverit: nam hic ipsi competit conditio: quemadmodum si pecuniam solvisset condiceret: solvit enim, qui delegat.* Conf. D. JOANN. VOLCKMAR. BECKMANN. in Tr. de privileg. mulier. §. XX. & D. CASPAR. MANTZIVS in P. II. cap. XVI. def. 11.

§. XIII.

Quam decisionem frustra fugillant, quotquot obligationem naturalem, qua feminae ex intercessionibus suis constringuntur, hic objicere ausi sunt. Acti illud quod respectu nudi juris naturalis debitum est, sed intuitu juris civilis indebitum saltim, repeti nequeat. Resp. Ex præc. §. IIX. ubi

D 3

distin-

distinguitur inter obligationem *naturalem pro parte*, & *secundum se totam a jure civili reprobata*, quarum prior in *filiisfamilias* occurrens: conductionem *indebiti* excluderat: posterior in *femina* deprehensa eandem actionem admittit *ULPIANVS* in *L. 26. §. 3. D. de condict. indebit.* & *JULIANVS* in *L. 16. §. 1. D. de Sc. Vell.* addidit rationem: quia *totam obligationem senatus improbat*. Procul dubio *ad nimiam fideiubendi facilitatem* respexit, ut onus non necessarium a *feminis* arcerit. Hinc *Leges Romanas* ea in parte *feminarum facilitati* per *SCtum Vellejanum* iuisse prospectum, recte tuetur *SAMVEL PUFFENDORFIUS* in *Lib. V. de J. N. & G. c. 10. §. 10.* Nam privilegium hoc in *favorem debitoris* introductum est, ideo in *odium* ejus detorqueri non debet, etiamsi pro *patre & filio femina* ex *precedente obligatione* solverit; tamen *salvam sibi fore conductionem indebiti*, mihi *persuasissimum* habeo ex *arg. L. 3. C. ad Sc. Vell.* Neque est, quod *periculum contradictionis* mihi aliquis exprobet: utpote quod *distinctio* inter privilegium in *odium creditoris* & quod *in favorem debitoris* inventum est, protinus depellere potest.

§. XIV.

Cum primis autem *militi ex ignorantia juris indebitum* solventi amplissima spes pro instituenda *conductione* supra promissa fuit in *Cap. 1. §. XIV.* Quoties miles *ignarus* non tam *juris communis*, praestitit, aut remisit, quod non debuit, prout ejus rei proposui exemplum *l. c. §. XVII.* quam *privilegiatorum sibi competentium*, unde ad varios *casus* eliciendos paratam dedit occasionem. Ita in *casu nono* miles ex *sepius memorata ignorantia* de legato, aut *fideicommissio*, *excessivo*, sive in *testamento commilitonis relicto heredi* instituto permisit *detractionem quartae Falcidiae*, aut *Trebellianica* contra

contra *L. 12. C. de test. milit.* & *L. 7. C. ad L. Falcid.* Qua permissione minus obstante, conditionem *indebiti remissi* habere videtur, ne *privilegium* suum perdat. Confer. *L. Br.* ab ENENCKEL. *in Lib. II. de privileg. cap. XVI. n. 8. 87. & 96.* Miles enim in armis occupatus ad *leges testamentarias* attendere nequit, statu suo iis solutus, immo aliam attentionem exigente, quæ *publicæ* saluti conducatur.

§. XV.

Ex eadem ratione puto decidendum esse casum *undecimum*, quo miles privilegio *competentiæ* uti poterat, sed oblitus ejus, *integrum* solvit debitum creditori suo. Unde tantum *condicere* poterit, ut *indebite* solutum, quantum sibi ad *alimenta* necessarium esse videtur. ULPIANVS *in L. 6. D. de re judicata.* D. LAUTERBACHIVS *in Disp. de beneficio competent. §. XXIII.* Neque exceptio *rei judicatæ* militi impedimento esse, poterit, quo minus *condicat*: partim quia sententia contra *privilegium*, in corpore juris clausum, pronunciata, nullitate laborare existimatur; partim quia adversus manifestam *utilitatem publicam*, quæ in statu militum unice intenditur concepta & lata est. Equum ergo erat judici, militi hoc in casu providisse, qui summa pro Republica *pericula* subit: ne neglecta gratitudinis lege *in solidum* excussus, relicto armorum usu ad alia negotia sese conferre cogatur. Taceo quod exceptio ipsa *competentiæ* post sententiam in executione opponi possit. PAVLVS *in L. 41. §. f. D. de re judicat. & si de iure non observetur ab executione ipsa adpellari possit.* CABRIZOVIVS *P. I. Const. 32. def. 15.*

§. XVI.

Longe minus silentio est prætervehendus *duodecimus* casus, quo miles, qui aditam *hereditatem* repudiare potuit, concedente

cedente JUSTINIANO in L. 22. §. ult. C. de jur. deliber. Si tamen illam retineat, nec inventarium conficiat, *ultra vires hereditatis* creditoribus defuncti neutiquam tenetur. Unde inferri poterit, si quid amplius solverit, quam vires hereditatis admitterent ab eodem milite *condictione indebiti* repeti posse. Quamvis enim presentis legis subtilitatem ac rigorem, ignorantia juris correptus non observaverit, solam tamen propter simplicitatem ab istius observantia liberatus est ab Imperatore l. c. Cui insuper publici periculi functionem adjiciendam esse arbitror, ne in gregariis tantum, sed in egregiis quoque militibus procedat. Non minor enim horum, quam illorum ratio habenda est, quoties, quoties in privilegio aliquo militum tuendo, quisquis etiam fuerit, jurium peritus versatur. Confer. L. Br. ab ENENCKEL. in Lib. II. de privileg. Privil. IV.

§. XVII.

Nullus vero mihi visus est casus, qui propius ad rem presentem pertinet, atque *decimus tertius*, quem ita formandum esse arbitror. *Hostilis miles* ab alterius partis Duce Salvum conductum obtinuerat: dum iter ingressus, hostis noctu atque improviso castra aggreditur, superat, atque inter ceteros illum quoque militem captum apprehendit: qui in fervore aëus promittit *lytrum*, ac partem ejus citra provocationem ad *liberum commeatum* sibi concessum solvit. Verum re pacata, ac errore juris militaris agnito non residuum modo in lytro solvere detrectat, sed condicit etiam *solutum* ut *indebitum*. Et jure quidem adprobante, quia cui *ius ignorare* licet, illi *indebitum* ex istius errore solutum repetere licet, ut cap. I. §. XIV. deduxi. add. D. ANDR. CLVDIVS de *condict. indebiti* in cap. I. n. 55. JACOBVS MOESTERTIVS in Tr. de *condict. indebit. quæst. 3. in fin.* Deinde quia accepto *salvo conducto*

conductu, in tutelam *hostium* pervenit, ab iisque receptus fuit laudatus miles. Denique si *in itinere securitas* promissa sibi praestanda erat: omnino etiam illa perfrui debuit hoc tempore, quo *itineri* sese accinxit *arg. L. 35. §. 9. D. ex quib. caus. minor. in integr.*

§. XIIX.

Neque juvat capientem (1.) quod *ex hostibus* unus in eisque *deprehensus* fuerit, Resp. Captus quidem est *ex hostibus* unus, sed *salvo conductu* instructus, se liberante ab *occupatione* promiscua, cum illo miles *in patrocinium* receptus fuerit ceu dictum §. praec XVII. ac proinde *hostis* esse desierit. Ne dicam, quod *salvus conductus* semel indultus *violari* non debuerit (2.) quod miles captus statum suum agnoverit, promissione *lytri* hujusque partis *solutione*. Resp. Per errorem utrumque factum *a milite* susceptum est, cui auxilium ferendum. Standum igitur *declarationi* militis, qua de *errore* suo constabit. In turbis enim istis ideo ad *salvum conductum* provocare non potuit, cum vel non auditus, vel *commeatus* aut *salvus conductus* sibi ereptus fuisset. Dum ergo singula *errore* gesta sunt, *veritate* rerum *immutabili* existente *juxta L. 5. C. de jur. & fact. ignor.* illum *revocare*, ac indebite solutum condicere licebit. Maxime si expendatur, cum eo tempore miles ad *commeatum* suum provocasset, victorem a se *irritari* potuisse, ac si victoriam illi velit reddere inanem. Quare *solutione potius lytri, erronee* facta, miles saepe dictus nec *justitiam* captivitatis, agnoscere, nec sibi praedjudicare ulli *juris militaris* consulto videbitur. Conf. D. JOACHIM BURGER *in Cent. 1. jur. Milit. Observ. LXXX.*

§. XIX.

Quod rusticis etiam *condictio indebiti* competat, quoties

E

pro

pro ignorantia juris aliquid remiserunt, aut promiserunt, ex iis, qui de *rusticorum* privilegio, ejusque causis verbosius differui *Cap. I. §. XV.* perspicuum erit. Pro casu saltim *decimoquarto* subservire poterit, si rusticus dicta ignorantia *indebitas* sibi contributiones solverit, quas a *sciente* solutas repeti posse, sibi aliisque persuadet L. Br. a LYNCKER *in decis. MCCLXVII.* Minus ergo dubium exinde fuit argumentum, quod multo magis *ignorantia juris & oneris civilis ex rusticitate* orta repentem in proposito suo adjuvare queat, rescribente ita, tamen in alio casu, CONSTANTIO Imperatore *in L. 8. C. qui ad possess. honor. admitt. possunt.* Ne vero facile decisionem hanc quis ausit evertere, multiplici distinctione utendum erit, quam larga manu suppeditavit SFORTIAS ODDO *in Tr. de Restit. in integr. p. I. Qu. 9. art. 12. n. 65.* Rustici enim aut *sagaces* sunt, aut *simplices*, conditionem *indebiti* ex juris ignorantia adhibitori: his, non illis modo laudatam actionem permisisse videtur. *Sagaces* enim, ut in aliis sibi provident, ita in damnis vitandis sibi non defecisse *calliditate* sua arguuntur. Fac privilegium *ignorantiae* datum esse *rusticorum* ordini, propterea tamen exceptionem ab eo ostendere, nemini vetitum est. Inprimis, si *prudentiores* consulendi occasionem habuerunt, ac urbi fuerunt vicini, paullo frequentius cum jurium peritis versati. Quibus accedit, si magis de *damno vitando*, quam de lucro captando contendant, ad quem casum respexit CALLISTRATUS *in L. 2. §. 7. D. de jur. fisci.* Neque a tramite veri discedunt, qui rusticis nolunt ex *juris ignorantia* succurrendum, nisi speciali lege de casu illo cautum esse adpareat. SFORTIAS ODDO *l. c. art. 6. n. 28. seqq.* Quare rusticis licet ex *juris ignorantia indebite* solutum condicere, si *simplices* fuerint, ab urbe *remoti*, & lege ipsa admittantur.

Dictum est in *cap. I. §. IX. & XI. peregrino*, aut *civi*, qui *noviter* ad civitatem aliquam accessit; nec diu in illa moratus fuerit, *ignorantiam juris civilis* haud noxiam fore. Qua sententia semel confirmata exinde sequitur, ut si quid praestitum alteri, ad quod tamen civis iste nec *lege* nec *statuto* loci obligabatur, idem, tanquam peregrinus, & proinde *juris ignarus* ad conditionem *indebiti* confugere possit. Intuitu hujus *decimum quintum* casum superaddam de *ignaro juris retorsionis*, ob successionem *statutariam* in quadam civitate obtinentis; praesertim si hoc jus *promissione* successoris, datisque *litteris reversalibus* a magistratu alterius loci quodammodo mitigatum fuit. Etsi enim non videatur is *indebitum* accipere, qui ex jure solum *retorsionis* ab eodem repelli poterat; nihilominus id secus sese habet, quoties rem non aliter accepit successor, nisi sub *obligatione* de eadem, vel simili re quandoque restituenda. Qua obligatione paulo post *subducta*, rem sub ea, nec aliter, obtentam in *indebitum* cadere, ut *condictioni* locus sit, nullum superest dubium. Nam quicquid datum est certa *lege*, cujus placita non observantur, sed contra *fidem* negotii alter versatur, tanquam causa *subducta*, repeti potest *indebiti* conditione, prout Alexander Imperator in *L. 2. C. de condict. ob caus. dat.* rescripsit. Si ergo femina Marchica, cujus soror in Saxonia defuncta est, ab hujus marito *geradam* impetravit, ea *lege*, ut literas reversales a Magistratu suo offerret, quod in pari casu eandem utensilium muliebrum partem feminis Saxonis ex hereditate defunctae se permitturum esse. Quibus *non oblati* judici loci, marito conditionem *indebiti* adversus feminam Marchicam competere de praestita *gerada* indubitati juris est. Vid. L. Br. a

LYNCKER *in consl. LXXVII. n. 36. seqq.* D. STRIKIUS *in Dissut. de jure rectorsonis cap. IV. n. 28. seqq.*

§. XXI.

Circa personas vero *privilegiatas & non privilegiatas* quantum ad conditionem *indebiti* attinet, magna intercedit differentia super *probatione* (1.) *indebiti*, quod a *non privilegiatis* probandum est, partim ob *præsumtionem*, qua quisque res suas servare ac perdere creditur, ut *Cap. I. §. IV.* demonstratum est: partim propter *expressum juris præceptum*, quod PAVLUS urget in *L. 25. pr. in fin. D. de probat.* in verbis: *qui dicit indebitas se solvisse pecunias, compelli ad probationes.* Sed *privilegiati* a probatione hac liberantur, onere illo in reum devoluto, quos idem JCTUS in *cit. L. §. 1.* exemit. *Sin autem is, qui indebitum queritur vel pupillus vel minor sit, vel mulier; vel forte vir quidam perfectæ ætatis, sed miles vel agricultor, & forensium rerum expers, vel alias simplicitate gaudens, & desidiæ deditus: tunc eum, qui accepit pecunias, ostendere bene eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas; & si non ostenderit, eas reddibere.* (2.) Erroris & ignorantia, quæ rursus in *privilegiatis* præsumitur, in *non privilegiatis* delatione etiam *juramenti*, vel alia circumstantia, quæ in *animo* consistunt, investigari ac probari potest: nisi quis eam amplecti velit opinionem, quæ ex *probato indebito* errorem præsumit. Videatur D. CARPZ. *P. II. Consf. 28. Def. 21.* D. CLVDIUS *in Tr. de condict. indebit. cap. X. n. 33. seqq.*

CAPUT

CONDICTIONE INDEBITI OB
IGNORANTIAM JURIS PERSONIS NON
PRIVILEGIATIS COMPETENTE.

§. I.

HActenus earum personarum habita est ratio, quæ privilegio singulari munita, ob *juris ignorantiam* insituerere potuerunt conditionem *indebiti*. Restiterunt istæ, quibus nullum suppetit *privilegium*, sed *e jure communi* jus condicendi sibi tribuunt, etiamsi *ejus ignorantia* adfecti, solverint indebitum. Quantum vero inter se dissensum alant jurium interpretes non tam e *commentationibus* ad Titulum *de condict. indebit.* digestis, quam ex monitis etiam meis in *capite I. §. XVII.* videre licet, quæ pro formando controversiæ statu præmissi. Unde nullus dubito, ad istorum JCtorum sententiam accedere, qui *ex jure communi* ob ignorantiam hujus *juris* indulgent conditionem *indebiti*, modo *ex parte solventis* nulla adfuerit obligatio *naturalis*, quæ illam actionem impediret. Adeo ut nihil intersit, obligatio isthæc sive *imperfecta* saltim, sive *perfecta* fuerit: prior, *ex virtute* dependens, ut *coactionem*, ita *actionem* forenssem repudiat. HVG GROTIVS de *J. B. & P. L. II. cap. XI. §. 3. & Lib. cit. cap. XX. §. 20.* Sic dulci errore captus, *quasi obligatione ab antidora* teneretur, a quo quis solvit, cum tamen nullum præcesserit *beneficium* accipientis, conditionem *indebiti* suscipere nequit, quia *donare* voluit uti ratiocinatur PAVLVS in *L. 65. §. 2. D. de condict. indebiti.* Confer. DN. a COCCEL. in *Dissert. de Antidoris Sect. II. §. 8. seqq.* Posterior ex lege *naturali* orta quamdiu in totum

ex lege civili *reprobata* non est, conditionem *indebiti* excludit, cujus exemplum repetendum est *e cap. II. §. IIX.* Neque obstat, jus civile non posse obligationem *naturalem* reprobare, tanquam æquiores & justiores. Resp. *Ex L. 6. D. de I. & I.* cum Ulpiano *jus civile per omnia juri naturæ & gentium non inservire.* Deinde *naturale* personæ *vitium* occasionem præbuit conditoribus juris civilis, ut obligationes *naturales* in quibusdam personis *in totum* reprobaent ac sufflaminarent. In minoribus *lubricum ætatis*, hanc ob causam adductam est, *cap. I. §. XII.* In *sceminis fragilitas sexus* *l. c. §. XIII.* in aliis ingenii *simplicitas* *l. c. §. XV.* Symbolum suum contulit, ut obligationis *naturalis* efficacia impediretur a lege civili. Sed ne dilabar a *coeptæ sententiæ adfirmantis* defensione, quæ ex *ignorantia juris civilis* omnibus conditionem *indebiti* permittit, quibus obligatio *naturalis* haud obstat: ideo illam prius *legibus* harumque *analogia* probaturus sum, dein *dubia* negantium sub examen meum redigam, ac tandem *illustrandi* causa aliquos, paucos tamen, eosque in *foro* frequentiores casus submittam, ut omnibus ac singulis adpareat, me arduum utili miscuisse.

§. II.

Principio notandum probe est, quod naturali jure liceat nemini cum alterius *detrimento & injuria* fieri locupletionem. Sed omnino id accidit, si accipiens *indebitum* a dante ex *errore juris* solutum, retinere queat. Obtentu hoc securus, quod solvens in *jure erraverit*, aut illud *ignoraverit.* Perspexit hanc æquitatem *naturalem* Pomponius, & proinde inter *juris* regulas laudatam a me rationem adsumsit. *L. 206. D. de R. J.* Jure itaque naturali; ubi etiam *juris ignorantia* præcessit; tamen conditionem *indebiti* quisque habet.

habet, Nihil enim refert, qua *ignorantia* motus quis solverit, modo *indebitum* fuerit. Ergo in *accipiente* si deficiat *causa*, ob quam jura rei retentionem admittunt, *condictionem indebiti* nasci, expeditum est a PAPINIANO in *L. 66. D. de condict. indebit.* Sic vero ille inquit: *hæc conditio ex bono & equo introducta, quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, revocare consuevit.* Admodum claro argumento, quod *indebitum* condicenti sufficiat, e qua demumcunque *ignorantia* solutio provenerit. In primis quod divisio inter *ignorantiam juris & facti* pro præsentè actione magis ad eam obscurandam, quam declarandam inventa esse videtur. D. JO. SCHILTER in *Pandect. Exercit. XXII. §. 32. seqq.*

§. III.

Neque est, quod aliquis sub initium vehementer mihi exprobet, ita tolli differentiam inter *juris & facti ignorantiam*, quam tot textus juris Romani, de quibus paulo post dispiciendum erit, satis superque tuentur. Resp. Remanet differentia, si non in hoc negotio, quod *juris* saltim *permissivi* est, tamen in aliis, quæ *juris præceptivi & prohibitivi* esse supra designavi *cap. I. §. IX.* utique perseverat. Deinde cum etiam distinxerim *l. c. §. VI.* inter *juris naturalis & civilis ignorantiam*, hac non, illa admittam, elegi adfirmantium sententiam. Neque omisi distinctionem *casuum*, quod ad personas *non privilegiatas* attinet, quorum alii ad captandam *lucrum*, alii ad avertendum *damnum* pertinent, ut in illis non, æque ac in his *conditio indebiti* a me indulta fuerit *vid. l. c. §. IX. & X.* Quare hospitem esse oporteat solidæ jurisprudentiæ, qui ea in re decisionem meam reprehendere ausit, quam veritas *juris naturalis* fundat, *modestia* Jctorum confirmat, legesque *civiles* ipsa non repudiant.

§. IV.

§. IV.

Actionis quoque humanæ principii convenit, ut *indebitum* ex ignorantia *juris* condicatur. Nam solutio ut valeat, & prælucente intellectu & decernente voluntate fieri debet. Verum ignorantia sive *juris* sive *facti* fuerit, quæ intellectum privat operatione sua, simul voluntatem impedit, ULPIANO consentiente in L. 15. D. de *jurisdic.* qui nihil tam contrarium arbitratur *consensui*, quam ignorantiam & errorem. Maxime si circa causam negotii committantur, ut agens istud, non egisset, nisi veram causam ignorasset. Si quis igitur putat ex errore, se debere ex mutuo, vel alia causa onerosa, & alteri quid ea intentione dederit, cui error causam dedit, tunc illud a dante conditione *indebiti* repeti potest: etiam si accipiens rem illam velut donum acceperit. Actus enim agentium ultra eorum intentionem nihil quidquam operatur uti colligit JULIANVS in L. 19. D. de R. C. Dum ergo dantis intentionem error elicit, hoc ab eodem detecto & cognito nihil amplius illa operari potest, quam *dissensum* eumque subsequentem *indebite* soluti conditionem vid. DN. a COCCEL. Diff. cit. §. 9. D. LAVTERBACH in *Disp. juridica de voluntate* §. XX. n. 6.

§. V.

Facto in *jure naturali* solide fundamento vid. præc. §. II. eruti que actionis humanæ principii, unde conditionem *indebiti* ob quemcunque errorem institui posse, exploratum est. In posterum ad *leges civiles* progrediar, eas quidem, quæ in sede tantum hujus negotii *indebitum* ad hanc conditionem requirunt. Ubi erroris aut ignorantie mentionem simul faciunt non æque distinctionem illam adplicant, sed sola contenta sunt *solutione erronea*. Sic ULPIAN. in L. 1. §. 1. D. de *condic.*

condicti. generaliter pro solvente decisionem suam subministravit, inquit, *si quis indebitum ignorans solvit, per hanc actionem condicere potest.* Ne vero quis ausit contra ejus intentionem addere restrictionem *de ignorantia facti*, subjecit argumentum, a *contrario* sensu petitum, his verbis: *Sed si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio.* Ita autem hoc inferendum: si *sciens*, qui solvit *indebitum*, id non condicit ergo ex lege *oppositorum*, qui *nesciens* solvit, *indebitum* condicit. Quocum exacte conspirat MARCIANVS JCTUS in *L. 40. pr. D. h. t.* cujus verba recitavi *cap. 11. §. 1X. inf.* ut propterea his latius allegandis in praesenti supersedere possim. Quod autem condicturus *in lege citata non factum*, sed *jus ignoraverit*, inde dispalescit, quia se tutum esse *perpetua exceptione*, ignoravit. Jam vero *exceptio* omnis est juris beneficium. Ad eundem finem PAPIANVS dixit in *L. 59. D. h. t. si fidejussor jure liberatus solverit errore* (scilicet istius juris) *pecuniam repetenti non oberit.* Generalem hanc decisionem Jureconsultorum comprobat Imperator ANTONINVS in *L. 1. C. h. t. Pecuniae indebitae per errorem, non ex causa judicati, solutae esse repetitionem jure conditionis, non ambigitur.* Cum ergo singulae leges istae *purum errorem* eumque *ilimitatum* admittant, ac *in sede* ipsius negotii compareant, cetera ad has, *juris analogia* ita poscente, accommodari ac declarari debent, & *certi* juris erit, ut ob *juris ignorantiam* *condictio indebiti* conveniat.

§. VI.

Neque desunt leges, quae *extra sedem* hujus negotii positae sententiam meam stabiliant. Etenim PAPIANVS in *L. 7. D. de jur. & fact. ignor.* inita comparatione inter *adquirentem & repetentem*, per quam diserte pro hoc decisionem suam in-

F

am in-

am interposuit, nempe quod *juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet*. Quisquis autem experitur condictione *indebiti*, id ipsum repetendo quod *suum* est, petit. Ac proinde *juris ignorantia* sibi nocere non debet. Nam idem PAPIANVS, ne sibi obiciat, quod præcipiti ausu opinionem suam in medium protulerit, paulo post eandem repetit & confirmat in *L. 8. D. h. t. Omnibus error juris in damnis amittendæ rei suæ non nocet*. Quid clarius in rem præsentem dici potuerit, quid utilius ac firmitus adhiberi, ego sane non inuenio.

§. VII.

Supervacanea igitur est quorundam exceptio (1.) hic non peti *suum*, neque hic agi de *damno rei suæ*, quia res jam aliena, & *dominium* in accipientem translatum per *solutionem*, unde *vindicatio* non datur de re extante, nedum *condictio indebiti* de re consumta. Ratione hac dissensum suum expressit FRANCISCVS DVARENVS ad *h. t. cap. 3.* partique adversa suppetias ferre noluit. Resp. Præterquam, quod hic gratis fingitur, non peti *suum*, & illatio fit a *diversis* actionibus: adhuc tamen nihil evincunt adversarii, cum titulus pro transferendo dominio objectus, *validus* esse nequeat, quoniam ei *error juris* causam dedit, & idcirco *actionis humane principia* in eo deficiunt, ut supra inculcatum est in *præc. §. IV.* quæ ad *valorem* cujusque *tituli*, ad *dominium transferendum habilis*, requiruntur. Dari quoque *instantia* potest a *creditore pignus illegitime distrabente*, qui emtorem ejus, etiamsi fraudis hujus *ignarum dominum* efficere non potest, quominus debitor illud ab eo vindicare valeat, uti perspicere licet in *L. 2. C. si vendit. pign. arg. L. 65. D. de R. V. L. 8. C. de distract. pignor.* Quare non *traditio*, aut *solutio* suffi-

sufficit, ubi *vitium* occurrit *in titulo*, quo accipiens unice nititur.

§. IIX.

Multo minus pertinet ad rem exceptio (2) Non agi hic de damno rei *amittendæ*, sed de damno rei *amissæ*, qua *subtili* magis quam *utili* distinctione pertinacissime contrariam sententiam olim tuebatur ANDREAS CLYDIVS *in Tr. de condict. indebit. cap. l. n. 15. seqq.* Resp. Fateor, quoties quis *indebitum* repetere vult, postquam *solutum* est, tunc eum non certare de damno rei *amittendæ*, sed *amissæ*. Nihilominus exinde parum accedit adversa sententia, cujus *fallacia* potius hac distinctione in lucem protrahitur, quæ *divisionis* esse in scholis dicitur, indigna juris interprete. Dum enim *errans in jure* solvit, eo ipso momento versatur in damno rei *amittendæ* non *amissæ*, sed tunc circumstantia hæc de *re amittenda* ad *tempus solutionis*, non *conditionis* referenda est: cum ergo ab *illa* male divellatur, & huic temere jungatur, fallacia illic *divisionis*, hic *compositionis* coorta esse videtur, quæ negotium in se perspicuum tenebris involvit. Nam alias si ea *distinctio* hoc modo adhibeatur, ne is quidem, qui *in facto* tantum *erravit*, conditionem hanc movere potest. Quoties enim vult condicere in damno rei *amissæ* versatur, sed dum solvit, in damno rei *sux amittendæ* occupatus est. Rectius itaque distinctio hæc applicanda est, ut damnum rei *amittendæ* pro exceptione, sed damnum rei *amissæ* pro conditione destinetur, dubitantium fluctus compositi sunt, & quisque sententia suæ multo certior, quam antea sibi videbatur, erit atque perseverabit.

§. IX.

Taceo quæ *adversam* sententiam premunt, nedum opprimunt penitus, varia *incommoda*. Primo enim solvens, qui

nullo jure obligatus erat, hoc solo *praetextu*, quod *ex errore juris* solvit pro *obligato* habetur, sibi que *condictio indebiti* ex manifesta quadam *contradictione* denegatur. Deinde in accipiente *justa causa* desideratur, quam *error & ignorantia juris* a dante commissa supplere non possunt. Unde non *debitum*, errore *juris* interveniente, debet fieri *debitum*, quo nihil magis ab omni ratione alienum est, si expendatur *præc. §. IV.* Porro error *juris ex ignorante* facit *scientem* quod commentum civile est. Tandem de *lucro* captando certanti *succurritur*, sed de *damno* vitando sollicitus *juris* auxilio *privatur*. Postremo ut *condictio indebiti ex æquo & bono* introducta est, per *superius §. II. cit. L. 60. D. h. t.* non nisi per summam iniquitatem is, qui errore *juris* lapsus solvit, ab eadem actione repellitur. Quare *æquitas illa civilis*, quam sibi dissentientes imaginantur, non *cerebrina* modo est, sed & plane *insufficiens*, quæ evidentissimam istam *æquitatem naturalem* tollat, secundum quam cum *damno* solventis *indebitum* accipiens *lucupletior* fieri nec debet, nec potest; ne de *male questito* habeat, quod in sinu suo gauderet.

§. X.

Vulgo quidem ut plerorumque *veterum Jureconsultorum* opinio ab aliis traducitur quibus nihil, nisi *novum* in *jurisprudencia* arridet. Posito non tamen concessio esse *veterum*, nihilominus eorum nomine haut intelligendi erunt soli *Glossatores* *juris Romani*, etsi in *Gl. ad L. I. de condict. indebit.* ejus mentio injiciatur, eaque ab *AZONE in summ. Cod. ad h. t. n. 2.* repetatur. Sed potius *Romani Jureconsulti*, quos paulo ante laudavi *§. V.* quorum *decisiones* calculo suo ipsimet *Imperatores* adprobare non dedignati fuerunt, ut *l. c.* monitum est: utrosque non tam *antiquitate*, quam *veritate*,
quæ

quæ in ipso *jure nature* aperta est, invitante. *vid. supra §. II. seqq.* Quod pluribus deducere possem, nisi majori mihi curæ foret, *juris*, quam *historiæ* ejus inire rationem ac suscipere declarationem. Non igitur ex præjudicio *antiquitatis* quod ipse serio detestor, ut artium impedimentum, sed ex fundamento *summæ æquitatis*, quam sapius commemorasse non piget *ex præcedd. §. 2. & 4.* & fuga *iniquitatis*, quæ adversam sententiam sequitur, de qua *§. IX. præc.* operose actum est, nec pœnitet operæ, quæ forensibus negotiis additio non potest non magnum præstare emolumentum, & læsis *indebiti* solutione ex *juris* errore præsentissimo cedit solatio.

§. XI.

Quæ momenta expendent Jcti recentiores in eandem veterum sententiam iverunt, atque in curiis etiam hanc receptam esse probaverunt. Præcipuas ob istum consensum adire libet in Germania academias, ex eisque doctores sistere, qui non in theoria sola, sed potissimum in praxi condicentem *ex juris ignorantia indebite* solum consiliis ac responsis suis adjuverunt. Hinc ex academia *Francofurtana* commendandus est D. SAMVEL STRYKIVS in continuato ad *pandectas* commentario D. BRVNNEMANNI occasione *legis 7. D. de jur. & facti ignor.* ubi ait: *in foro non facile a veterum sententia recedendum esse, concedo.* In *Friidericiana* Illust. DN. THOMASIVS de usu hodierno *Pandectarum* curate agens ad *Tit. de condit. indebit.* eandem adprobat sententiam: *si modo, inquit, sit indebitum, errorem juris & facti in hac actione æque non nocere.* Jungantur quoque ejusdem viri celeberrimi not. ad Jo. STRAVCHII *pandectas Dissert. XVI. §. 23. in fin.* In *Lipsiensi* academia pluribus responsis illustratam & confirmatam hanc

F 3 senten-

sententiam exhibuit D. JO. PHILIPPI in *Eclog. XL. ad Inst. n. 50.* Quam in *Witebergensi* D. GEORGIUS BEYERVS amplexus in *Delineat. Pandect. h. t. §. 29.* Maxime vero in *Jenensi*, ubi D. GEORGIUS FRANTZKIVS mutata sententia, quam in *Exercit. XI. Qu. IIX.* defenderat, re melius perpensa, eam, qua veterum dicta est §. XIII. secutus est: Videre hoc est ex iis, qua lar- ga manu adpoluit in *Pandectis* a se conscriptis *h. t. n. 25.* Cuius vestigiis institerunt, & accurratam Frantzki interpretationem ad usum fori destinaverunt D. JO. CHRISTOPHORVS RICHTER *Dec. LXIIX. n. 31. & 32. & Dec. XCVI. n. 140.* & D. JO. VOLCKMAR BECHMANN in *usu Pandect. Theoret. & Pract. ad h. t. Obs. III.* In *Helmsstadiensi* accedit D. HENRICVS HAHNIVS ad *Wesenbecii Paratit. n. IX.* qui non rationibus modo, sed & responso ordinis sui consensum suum satis abundeque indicavit. Ex *Heidelbergensi* REINHARDVS BACHOVIVS producendus est *D. de action. IV. th. 17.* In *Lovaniensi* D. HENRICVS ZÆSIVS pro eadem sententia militavit in *Comment. ad D. Tit. de condict. indebit. n. 14.* In *Franeckerana* D. ULRICVS HYBERVS *Prælect. ad Inst. de obligat. ex quasi contract. n. 8.* eidem subscripsit. Alii quoque in aliis academiis a me excitari potuissent, si opus & otium fuisset. Quos ergo fando adsecutus, hac intentione adhibui, ut a nota temeritatis me liberare queant. Nihil enim frequentius evenit, quam ut sententia, qua alias firmo stat talo, sub illo obtentu impetatur atque rejiciatur. Sed redeo ad pensum meum, quod per- texam.

§. XII.

Quibus pro illa sententia, qua mihi cum plurimis longe verior visa est altera, prolixè expeditis, *argumenta* jam aggrediar, quibus dissentientes multum tribuunt in dirimenda hac

hac controversia. Horum (1) a legibus petunt, in quibus
 ceu *regula* praescriptum sit, quod *juris ignorantia* cuique no-
 ceat ut *L. 90. pr. D. de jur. & facti ignor.*, cum in omni par-
 te error *in jure* non eodem loco, quo *facti ignorantia*, ha-
 beri debeat *per l. 2. D. h. t.* Resp. Leges istae *generales* sunt, &
 proinde certis *circumstantiis*, quae non minus ab alia *lege* sup-
 peditantur, restringendae sunt. Scilicet ut, quoties *personae*
non sunt privilegiatae, magis procedant in *adquirendo*, quam
in repetendo, quod ibi *lucrum* captari, hic *damnum* saltem
 averti possit. Quo digitum Pomponius intendit, cum in *L.*
4. D. h. t. negat *juris ignorantiam* in *usucapione* prodesse. Ut
 condictio, *ex ignorantia juris* de indebito mota, *damnum*
 solet *declinare*, ita *usucapio*, quia *dominium* prioris possesso-
 ris aufert; illud *inferre* conatur. Mirum itaque non est. si
condicenti profit, sed *usucapienti* *juris ignorantia* noceat. Conf.
cap. 1. §. IX.

§. XIII.

Speciosum est, quod (2) graviter objiciunt *ex L. 10.*
C. de jur. & facti ignor. Imp. ratores enim Constantinus & Ma-
 ximinianus ibi Araphia rescripserunt: *cum quis jus ignorans*
indebitam pecuniam solverit cessat repetitio. Resp. Notum est
 ex legibus *codicis* universalia argumenta contra *regulas juris*
 communis, nedum *naturalis*, non desumi. Sed ejusmodi
regulae in *h. cap. §. II. IV. & V.* exhibitae fuerunt, quibus lex
 illa *extra sedem suam* quodammodo posita, concordanda erat.
 Deinde acerrimi quoque adversae sententiae patroni in lege illa
ignorantiam juris naturalis agnoscunt, quam ut crassam &
 affectatam a statu controversiae separavi *cap. I. §. VI.* Sic D.
 Jo. BRYNNEMANNVS in *Commentar. ad Cod.* in hac lege putat
naturale debitum latere, *vid. l. c. n. I.* quo me quidem habet
 secum

secum consentientem: licet in *casibus* a se prolatis non possim non dissentire, quibus testamento *imperfecto* obligationem tribuit *naturalem*, quam pluribus confutavi in *cap. II. §. V.* nec non quartæ Falcidix omiffam detractionem negat ut indebitam condici posse, de qua tamen inferius dispiciam, nihil officiente, quod ex errore juris, sed civilis tantum, eadem neglecta fuerit. Denique lex adplicanda erit ad obligationem juris *naturalis* a lege *civili* agnitam, nec *in totum* sed pro *parte* saltim reprobata vid. *Cap. II. §. III.* Quo facto periculum *contradictionis* omne expirabit.

§. XIV.

Neque dimovet me ab electa semel sententia (3) quod urgent dubium *ex L. 9. C. ad C. Falcid.* qua Imperator Gordianus, sibi supplicanti respondit. *Is, qui sciens se posse retinere, universum restituit, conditionem indebiti non habet. Quin etiamsi ignoraverit, cessat conditio.* Duo in his verbis casus occurrunt, unus de herede *ex scientia* legata excessiva solvente, alter de herede *ex juris ignorantia*, & civilis quidem, ea solvente: in utroque tamen *conditio indebiti* denegatur. Resp. *Priore* extra controversiam adlato casu, quia sciens donasse videtur, teste Paulo in *L. 53. D. de R. I.* A quo tamen excipitur ille casus ubi in *instrumento* dictum fuit *MEVIVM scientem solvisse*. Sin *ex narratione* in *instrumento* adpareat *error*, vel alias probari possit: nihilominus *conditio indebiti* admittitur apud VIRGIL. PINGIZER in *Quest. 49. n. 11. seqq.* Verum de hoc non agitur, quin potius de *posteriore* casu disputandum est, quem ideo Imperator cum *priore* conjunxit, quia *juris ignorantem pro sciente* habuit. Sed commentum hoc *juris Civilis* esse paullo ante §. IX. ostensum, quod *conditio indebiti*, quæ ex æquitate *naturali* dependet

det male opponitur. Quod enim *in sciente* repetitio cesset, ideo accidit, quia adest *intentio* remittendi juris sui; non tamen hæc in *ignorante* locum habere potest, quam potius *ignorantia* interceptit, de qua §. IV. dictum. Minime vero prodest accipienti quod *justa causa* adeste videatur in eo, cum *voluntas* testatoris sibi *integrum* legatum in testamento assignaverit, quæ etiam pro lege valeat. De qua merito dubitatur, tum quia omnis dispositio intelligitur sub clausula *in quantum de jure*; tum quia magis dilectus est heres, quam legatarius secundum ea, quæ accurate expendit D. LAVTERBACHIVS in *Disputatione Jurid. de magis dilecto cap. IV. §. I.* tum denique quia hæres de *damno* vitando, sed legatarius de *lucro* captando certat, ideoque illi conditionem *indebiti* juxta §. V. & VIII. concedere non erubescio. Cum primis quod D. Jo. BRVNNEMANNVS, qui §. præc. XIII. dissentiebat in *Comment. Cod. citat. ad h. L. n. 9.*, pollicem mihi premat, revocata, quam antea defendit sententia sua. Digna igitur mihi ea visa est quæ propriis ipsius verbis huc adscribatur. Sic vero illa sese habent. *Legata supra dodrantem relicta neque NATURALITER deberi, quia alias repeti non possent, & quia testator cum posset, non prohibuit detractionem Falcidiae, videtur detractionem concessisse, & sic non est voluntas evidens, quod nolit quippiam Falcidiae nomine detrabere, ergo deficiente voluntate non potest consistere obligatio naturalis.* Hactenus ipse. Quod si conjecturis indulgere licet existimo Gordianum Imperatorem ad jus antiquum respexisse, quo Falcidia prohiberi non poterat, sed jure novo, quod prohibitionem permittit, clarior debet testatoris voluntas esse, quoties detractionem quartæ fieri non vult: ceteroquin si de voluntate hac non constiterit, nec prohibitio

G

presumi

præfumi potest, nec naturaliter ultra dodrantem legata deberi.

§. XV.

Quare ex dictis *primus* casus elici potest, quo conditio *indebiti*, quod in *restituta quarta* Falcidia consistit, personis etiam *non privilegiatis* recte permittitur. Ne cum tædio repetantur, quæ ad ejus decisionem necessariae sint rationes, e *§. præc.* petantur. Condicat ergo heres quartam *indebite* solutam, nec moretur, quod sibi a legatario exprobratur, *errorem jus* facere. Præterquam enim quod *particularis ratio* esse videtur, ac penitus inspecta *lubrico* nititur *fundamento*, quod in *comparatione scientis*, cum eo, qui in *jure* errat, quarunt. Toties id refutasse, eo me minus *operæ* tædet, quo altiores in animis eorum, qui leges interpretantur, radices egit, ut vix eyelli queat. Fac tamen, at non concessum esto: si *error* aliquando *jus* faceret penes illum solventem *indebitum* credo eventurum, quem naturalis obligatio constringit: Quam *obligationem* in herede *testamentario* exulare notius est, quam ut ignorari possit, quia testamenta omnia *juris positivi* esse evictum satis est *præced. cap. II. §. V.* Taceo *dilectionem* testatoris, quæ major pro *herede*, quam pro *legatario* esse præsumitur, quia *titulus institutionis* honorabilior est quocunque alio titulo. CARDINAL. MANTICA in *Lib. VI. de conject. ult. volunt. fol. 63. n. 20.* Credibile itaque non est, quod heredem ab hac *conditione* tametsi in *jure* errantem exclusum voluerit.

§. XVI.

Sed novam veri speciem dissentientes captant, 4.) *ex L. 2. C. de Fideicommiss.* qua Imperator ANTONINUS ordinat rescripto suo, ut *si inutiliter fideicommissum relictum sit tamen si here-*

si heredes comperta defuncti voluntate, prædia ex causa fideicommissi avo tuo præstiterunt: frustra ab heredibus eius ea de re quaestio tibi movetur, cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videtur. Resp. Primo comperta defuncti voluntas, quam heredes habuerunt, de relicto fideicommissio non indicat, sed repudiat in iis errorem. Heredes ergo non ut ignorantes inutilem esse testatoris de fideicommissio dispositionem, sed ut scientes id ipsum præstiterunt. Indebitum quidem, quia veritas defuit testamento vel sollemnitas, ac propterea ipso jure fideicommissum non deberi potuit, ceu Imp. Diocletianus & Maximinianus in L. 23. C. de fideicommiss. rescripserunt. Nihilominus, quia a scientibus restitutum fuit, repeti non poterat. Agnitio enim voluntatis defuncti, etiam tacita, quæ facta restitutionis declarata fuit conditioni indebiti est impedimento juxta §. præc. XIV. Quæ per modum pacti supervenit, obligationem naturalem secum trahentis ut conditio excludatur. Conf. cap. II. §. 9. Cum autem non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi heredes voluntati defuncti satisfecisse dicuntur, tanti non facio, ut mentem meam de hac lege mutare ausim. Et si in paganis, quantum attinet ad religionem, semper erronea extitit, in jure tamen errore vacasse, nemo diffitetur. Unde in meo proposito perseveraturus, adseram, & hanc legem minus convenire pro decisione motæ litis.

§. XVII.

Quin immo filix declaranda erit ex semet ipsa, mihi offert inter cæteros casum secundum, quo fideicommissum inutiliter relictum, sed ex ignorantia juris restitutum ab herede fiduciario condici possit ut indebitum. Si enim fideicommissum

missum *ex scientia* indebite solutum condici non potest, sequitur ex vi *oppositorum* ut fideicommissum tale ex *ignorantia* sive *juris* sive *facti* restitutum condicere heredi liceat. De *sciente* quid obtineat dixi. *§. præc.* & nunc addo saltem *L. 9. C. de condict. indebit.* ubi Imperator DIOCLETIANVS & MAXIMINIANVS diserte statuunt; *Indebitum sciens soluturus non re-
ste repetit.* De errante quoque in *facto* non est dubium propter *L. 7. C. b. t.* qua iidem Imperatores *condicentem* ita admisere. *Fideicommissum per errorem facti solutum condici posse, explorati juris est.* Neque spes me fallat, ad *juris* analogiam respicientem in eo, qui *in jure* errat. Nam fideicommissa testamentaria ut *meri juris positivi* sunt, ita in eis non subesse potest obligatio *naturalis*, quæ obliget heredem ad præstandum. Simul ut ergo *errore juris* correptus, tametsi *persona non privilegiata* fuerit, id ipsum restituat vel ratione *voluntatis* vel ratione *solemnitatis imperfectum* extiterit, condici ut *indebitum* posse nullus dubito. Rationibus iidem instructus quos in *præcedd. §. §.* larga manu congeffi, easque cum fastidio non retexam.

§. XIIII.

Qua occasione *ad quartum* casum pervenio quo liberi a parentibus suis fideicommissis gravati sunt, eoque *conditionali*, si improbe gesserint matrimonium, *aut in diem*, post mortem puta suam illud restituunt agnatis. Ab hoc gravatos non *legitimam* modo, sed *Trebellianicam* deducere posse adeo clare decisum est ab Innocentio III. Pontifice *in cap. Raynaldus 16. X. de testam.* & a GREGORIO IX. *in cap. Raynaldus 18. X. d. t.* ut dubitanti sufficiat. Nihilominus si quis ex liberis jam dicto fideicommissis gravatus ex *erronea de jure hoc persuasio*.

suafione tantum *Trebellianicam* deducat, omiffa *legitima*, quin hanc etiam conditione *indebiti* repetere poffit ab herede fideicommissario extra dubitationis aleam collocandum puto. Liberis enim *legitima sine gravamine* relinquenda erat, ut D. STRYKIVS in *Tr. de caut. Testam. cap. XVII. membr. II. §. 18.* operose demonstrat. A juris provisione illam liberi habent, non parentum beneficio. Quibus ergo in bonis parentes eos *honorare* nequiverunt, in his etiam *onerare* non voluerunt. Deinde una *quarta* alteram imputatione absorbere non potuit, quia *Trebellianicam* tantum habent a parentibus non *legitimam*, ut jamjam admonui. Denique vulgata nostra redit *distinctio*, dubium omne sublatura, quod liberi de *damno* vitando, cum debitam sibi *legitimam indebite* restituerint fideicommissario, sed hic de *lucro* captando contendit. Quare si ullus conditionis *indebiti* inter personas *non privilegiatas* casus fuerit, ex omnibus, iste anteponendus erit. Neque ad rem pertinet, quod de duabus *causis lucrativis* tantopere liberis objectare sustineant. Resp. *Una* tantum adesse videtur *causa lucrativa*, ea scilicet quam in detractone *quartae Trebellianicæ* liberi gravati consequuntur. Altera ut *debitum juris* spectatur, quod iisdem non *alia*, quam legis provisione obtingit.

§. XIX.

Ut vero promissi mei fidem præstarem quam cap. I. §. XVII. sancte in me recepi, propterea *quintum* casum advertam. Hoc heres præstitam a se cautionem pro solvendis legatis, tam sub conditione, quam in diem relictis, a testatore sibi remissam, quam ille cognita *juris ignorantia*, e qua temere profecta erat, ut *indebitam* condicere, ipso Ulpiano permit-

permittente in *L. 1. pr. ut in possiff. legat. vel fideicommiss. servand. caus. eff. liceat.* Heres enim cavens, quæ laborabat ignorantia, existimabat *cautionem* in tali negotio remitti a testatore non posse. Cum tamen Divi Marci Imperatoris rescripto dudum ea remissio concessa fuerit, prout præclare eandem refert TRYPHONIVS in *L. 46. D. de pact.* Quod nec favori ultimæ voluntatis cum JULIO PACIO in *Cent. 4. quæst. 5.* nec cuidam benignitati cum D. JO. BRUNNEMANNO in *Comment. ad L. 3. Cod. de condicte. indebit. n. 7.* sed veræ æquitati naturali *b. cap. III. §. II. & IV.* a me expressæ tribuendum est, heredem, onere *legati* gravatum, ita a *vinculo cautionis* liberanti. Quapropter mihi satis esse videtur, rursus de persona non privilegiata observasse casum, quo illa *juris errore* lapsa conditionem *indebitæ* cautionis instituere potuit.

§. XX.

Qua mente arbitror in *sexto* casu lusorem victum posse a victore suo ludo perditam pecuniam, & ex errore juris solutam, condicere ut *indebitam* quia ludus non est jure civili modus probatus acquirendi dominium, ut ipse Imperator JUSTINIANVS in *L. 3. C. de aleat.* ad perpetuam ludentium memoriam sanxit ac definivit. Ut ergo vi hujus justissimæ sanctionis, quoties extat adhuc *res perditæ ludo*; vindicari, ita si consumpta fuerit, conditione indebiti repeti possit. Quo etiam referunt ULPIANI decisionem in *L. 26. §. 2. D. de condicte. indebit.* perquam apta illatione. Si quis *falso* credens se fortem debere, usuras solverit, utramque præstationem *condicere* possit; inde sequi, ut multo magis, si *falso* putet, se *ludo* perditam debuisse, pecuniam, eamque protinus solvisse, habere conditionem *indebiti*. Neutiquam obstante condicenti, quod jure *naturali*, quemadmodum rerum

rum suarum dominus *donare*; Sic ludere, & victori perditum relinquere liceat. Resp. Dictum est ac identidem monitum obligationem *naturalem* lege civili *penitus reprobata* effectu hoc carere, ut conditionem *indebiti* excludat, sed potius eandem, omnino admittere *vid. cap. II. §. XIV.* Quare laudem meretur *D. Jo. BRUNNEMANNVS*, qui in *Cent. IV. decis. XIX.* hac quoque in parte Sententiam meam adprobavit. Plures quidem restare videntur *casus*, ut de usuris ultra alterum tantum, item supra legitimum modum solutis, aliique, quos tamen singulos evolvere, limites hujus operis excedit. Deo igitur pro viribus concessis gratias persolvo & a lectore benevolo contendo, ut, qua modestia in censendis aliorum sententiis ego usus sum, eadem quoque opinionem meam dijudicare velit, ita futurum credo, ut suum cuique tribuatur.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Polygamia simultanea virilis, quod unus maritus plures possit habere conjuges, non est contra jus naturæ; neque in sacra scriptura prohibita.

II. Qui

II.

Qui Virgini invitæ oscula rapit, tenetur actione injuriarum.

III.

Testamentum imperfectum obligationem naturalem non producere *Cap. II. §. V. Dissert.* adductum est. Quod ipsum neque etiam heredem in conscientia obligare, in præsentia materia affirmo.

IV.

Ab alio armato invasus non tenetur fugere.

V.

Exceptione S^Ci Macedoniani se tueri non potest, qui vestes, vinum, aliasque res fungibiles in mutui vicem accepit.

VI.

Ex dolo alterius, accedente licet juramento, quid promittens, efficaciter sese obligasse non videtur.

ACCLAMATIONES VOTIVÆ.

Dum Tua condicis solvunt indebita CATTI,
 Res est tam facilem mira fuisse LANVM.
 Actio sed meruit, meruit facundia Linguæ
 Præmia consultis jure parata Viris.

Ita gratularur

JOHANNES MATTHIAS FLORINUS

Histor. & Eloquentiæ Utriusq. Prof. in
 Acad. Herbornens.

Jura petunt, ut digna TIBI REICHMANNE feramus
 Carmina, dum Laurum consona vota dabunt,
 Imbibitam stabilire Themim Tu niteris usu
 Dum Te dupliciter docta Corona beat;
 Ad quid? Majorum Laus non peritura per ævum
 TE sat nobilitat, gloria, fama, decus
 Vivunt, Majorum virtus est nescia mortis,
 Si majora petis, stemmata quid faciunt?
 An non sat Titulis es conspiciendus Avorum
 Dum genus ex prisca nobilitate trahis?
 An non sufficiunt auri argentique talenta,
 Mundi victores? quæ TIBI magnus honos;
 Non REICHMANNUS ait: vestigia viva PARENTUM
 Virtutem veneror, cumque labore Thronum

H

Con-

Conscendam, illustris cum sit virtutis origo
 Non genus, ast artes: hoc mea fata volunt;
 Et sic majores claris virtutibus æquat
 Artibus assidue dum vacat ingenuis,
 Delibans ut apīs succum subtilia lustrans
 Doctorum, ut Patriæ dulcia mella ferat,
 Cumque EJUS profunda volet doctrina per orbem
 Et quicquid tentat dicere, nobilitet,
 Convenit ut docto cingantur tempora Lauro
 Quod sanctæ Leges, quod pia jura petunt,
 Convenit ut verum quoque nos testemur amorem,
 Ut gradus insertis altior esse queat,
 NUMEN ut excelsam dignetur regere MENTEM,
 Commoda sic Patriæ promoveatque SUÆ,
 Ut SUA sit virtus nobis post fata superstes,
 Atque in artis fontem prospera fata fluant.

*Nobilissimo DN. DOCTORANDO paucis
 his gratulantes officio suo fungi vo-
 luerunt*

COMMENSALES.

* * *
 Nur ein Rom/ ein Ilium,
 Ein Athen ist nur gewesen/
 Wo die Musen (wie wir lesen)
 Wo derselben Heiligthum
 Einig war allein zu finden
 Und die Weisheit zu ergründen.

* * *
 Jetzt aber haben wir
 Weit in einem bessern Stande
 Griechenland allhier zu Lande/
 Hypocrene fließet hier/
 Hier sind viel berühmte Schu-
 len/
 Da die Musen mit uns buhlen.

Frankreich/ Welschland/ Eng-
land

Wissen/ wie sie sollen ehren
Ihre Schuhen/ und zu mehren
Viel gelehrter Leuten Stand /
Weil sie deren Nutz erkennen/
Der auch kaum ist zu benennen.

Tritt auff Holland sage an /
Was thun deine Pierinnen/
Deine Leut von grossen Sinnen/
Was dein Leyden hat gethan?

Deine Schuhen sind zu preisen/
Weil sie können Zugend weisen.

Ist nicht Sachsen Annmons Thron
Und ein Jahrmareck freyer
Künste?

Hessen thut auch schöne Dienste/
Weil hier ist der Helicon:

Ach ja/ Teutschland ist zu lieben/
Weil die Musen sich drin üben.

Was dann dis und jenes Land
Nun erzeigt vor kluge Geister /
Was vor grundgelehrte Meister
Dannenher der Welt beland/
Weiß Herr Reichman durch
sein Schrifften
Ein sehr herrlich Lob zu stifften.

Darum lob ich deinen Fleiß
O du Sohn der Medritinnen/
Dass dein wohlgeübtes Sinnen/
Strebet so nach solchem Preiß/
Schau/ die Musen dich anlachen
Und ein Kranz der Ehren ma-
chen.

Dieses setzte seinem vertrauten Freund aus
schuldigster Pflicht hinzu

J. H. CONRADT,
J. U. L.



VOTVM PARENTIS, AFFINIS
ET FRATRVM!

QUOD
SACROSANCTO
SANCTISSIMI. NUMINIS
NOMINI
GLORIOSUM. TIBIQUE
ÆTERNÆ. LAUDI. SIT
FILI. DILECTE
EMENSUS
DIFFICILLIMUM. STUDIORUM. ACADEMICORUM
CURSUM
LAUREA. NUNC. CINGENDUS
DOCTORALI.
AD. HONORIS. DUCERIS. ÆDEM
SCILICET
SIC
MAJORUM TUORUM
BECMANNI. HOENONI. PATRUI. MAGNI
WISSENBACHII. STOEVEIORUM. APUD. BATAVOS
ET. PER. DOTATIONEM. ILLUSTRIS
ACADEMIÆ. HERBORNENSIS
ET. NON. PAUCORUM. LEGATORUM
ALIORUMQUE. AD. PIAS. CAUSAS
FUNDATORUM. BENEFICIORUM
VIRORUM
DE. UTRAQUE. REPUBLICA
CIVILI. ET. LITTERARIA
CONSILII. ATQUE. SCRIPTIS
MERITISSIMORUM

VESTI.

VESTIGIA. LEGIS
 ET
 QUOD. NON. MINORI. DUCITUR. LAUDI
 IIS. ETIAM
 FRATRUM. TUORUM. NATV. MAJORUM
 ALIORUMQUE
 SANGUINE. ET. ADFINITATE. JUNCTORUM
 INSISTIS
 QUÆ. GLORIA
 UT. ÆTERNA. INSCRIPTA. IN. BASI. LEGATUR
 ITA. TIBI. HUNC. HONOREM
 UT
 SI. OLIM. NON. SUPERES. AUT. ÆQUES
 TAMEN
 NEC. FAMAM. NEC. MERITA. IN. REMPUBLICAM
 OBFVSCES
 DEVM. O. M. FORTVNARE. VOLO.
 PARENS.

EN Tibi qui nuper fueras Auditor amicus
 Et quoque fraterno junctus amore mihi.
 Sed posthæc nostris SALA disjunctus ab oris
 SALA Pierii divite matre chori.
 En Tibi, quod VENEDVM raris virtutibus HALA.
 Debuerat, munus solvit Amice LANVS.
 Nec mirum, Charitum Tibi rident ora Sororum
 Ac ibi Castalidum turba novena favet.
 Jure Tuo quamvis quæ sunt *indebita* polcís,
 Quod debeat meritís dant tamen omne Tuis.

H ;

Nomi-

Nomina Majorum referunt REICHMANNE Tuorum,
 Nomina magnanimis propria rite Viris.
 Sic Pater ex nato factus, sic filius hæres
 Laudis, ut & Patriæ, gloria magna Domus!
 Rex superum tantum tantos fortunet honores,
 O! mea Cura Tibi, gaudia magna mihi.
 Sis bene, sis Patriæque Tuisque superstes in Orbe,
 Et Duce Te Gentis fama perennis eat.

Hæc gratulabundus posuit

JOANNES LVDOVICVS *Wiederholdt*!

J. U. Licent. & Sereniss. Nassau-Dillenburg. Princi-
 pi a Consiliis ac Directione Regiminis.

Sic Tibi divitias studio & virtute paratas
 Sic animi dotes, *Frater amande*, doces
 Quantus erit Cumulus, si solvet debita LANVS,
 Debita pro studiis, jure perite, tuis?
 Dives eris, titulos renovabis & unus Avorum,
 Doctor & in nostra nomine gente clues,
 Cætera prætereo: faustos Tibi Numen honores
 Esse velit semper, *Frater amande*. Vale.


*Ita ob fraternam propensionem ex animo
 gratulatur,*

W. H. REICHMANN,
 Consil. Nassavia-Dillenburgicus.

I præclare Frater, Summo assistente sequemur,
 Non etenim ambitio est, quam tua, nostra, minor.

*Gratulationis loco ad novos honores hoc
 adponere voluerunt*

QVATVOR FRATRES NATV MINORES.



Marburg, Diss., 1719-24

ULB Halle


3

003 599 06X



LA → OLSb. †
neu 41-21 Stück verknüpft





Pr. 23 num. 17. 226 20.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE

1723, 3. 17

CONDITIONE
INDEBITI OB IGNO-
RANTIAM JURIS
NON EXCLUDENDA

S. 228/

QVAM
DIVINO AVSPICIO

EX
AVTORITATE ET DECRETO

MAGNIFICI FACTORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBURGENSI
PRO SVMMIS IN VTROVVE JURE HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE
CONSEQVENDIS

PUBLICÆ AC SOLENNI SENATVS ACADEMICI
CENSVRÆ SVBJICIT
AD DIEM XX. MAJI MDCCXXIII.

JOH. EBERW. Reichmann /
NASSAVIA-DILLENBURGICVS.



MARBURGI CATTORVM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

KONIGLICH
UNIVERS.
ZVHALLE